





Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen





BIBLIOTHECA

Historico-Philologica-
THEOLOGICA.

Classis primae

FASCICULUS PRIMUS.



Continentiam illius pagina post praefa-
tionem, in qua de illius operis instituto
agitur, exhibet.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ.

BREMÆ.

Typis & impensis RUDOLPHI HOFFER!

Anno. M D C C X V I I I.

VIRO

*Excellentissimo, & venerando
admodum*

**LUDOVICO
CHRISTIANO
MIEGIO,**

Confiliario ecclesiastico

**Archi-Palatino, Sacrarum literarum
tam in antiquissima**

HEIDELBERGENSI

**Academia, quam
Ecclesia**

DOCTORI ac PROFESSORI.

VIRO

**De suis muneribus non magis, quam de
omni puriori Ecclesia me-
ritissimo,**

**ANTIQUITATUM ECCLESIASTICA-
RUM PROMO-CONDO.**

Pri-

Primum hunc hujus

BIBLIOTHECAE

THEOLOGICAE

FASCICULUM,

Tanquam summae obser-
vantiae tesseram of-
ferunt,

UTQUE EX LOCUPLETISSIMA,
QUAE PENES IPSUM EST, VETE-
RUM AC NOVORUM
PENU,

Illam liberaliter ac benevole ornare
atque augere velit,

PUBLICO NOMINE ROGANT,

EDITORES

PRAEFATIO.
LECTORES BENEVOLOS,
atque
ERUDITAE
Cultores
PIETATIS
plurima salute impertiri
cupiunt,
THEODORVS HASAEVS,
et
FRIDERICVS ADOLPHVS LAMPE,
Servi IESV CHRISTI in ecclesia
BREMENSI.

§. 1.
DOSTEA quam ab aliquo inde tempo-
re animadvertimus prosperos
successus Collectaneorum, qui-
bus eruditione praestantium Vi-
rorum *meditationes subcesivae, (pensées detacheés)*
aut opuscula, quae ob exiguam molem vel mi-
nus cognita sunt, vel facile hominum mani-
bus elabuntur, (*pièces fugitives*) congeri, suis-
que quasi fasciculis includi solent, ne nostris
quoque partibus deesse omnino videamur,
consilium cepimus BIBLIOTHECAM *philo-
logico-historico-Theologicam* orbi erudito, ac
Christiano, inque illo iis praecipue, qui emen-
dationibus sacris addicti sunt, offerendam,
adornandam.

§. 2. Scopum nobis duplicem potissimum praefiximus. Primo enim accidit saepe numero, ut Viris *piae studiosis eruditionis*, quibus docendi reginam scientiarum Theologiam, vel e cathedra, vel e rostris sanctioribus provincia demandata est, vel, ubi funguntur muneris partibus, vel infomnes ducendas noctes habent, vel etiam aliud agentibus, egregiae incidant cogitationes, quibus vel ipsi textui divinarum tabularum, vel sacrae historiae, aut aliis rebus huc pertinentibus insignem foenerari lucem possent. Cum autem non operae fore pretium, qua sunt modestia, arbitrentur, earum causa fatigare prela, majoris autem molis operibus in publicam lucem emittendis vacare vel nolint, vel per alia, quibus districti sunt, negotia nequeant, fit, ut illae vel cum dictis in tenues auras avolent, vel inter schedas sepultae cum suis intercidant auctoribus. Offerre itaque iis occasionem in animum induximus, suas ut observationes commodo consecrare publico, suoque exemplo alios ad sacrarum literarum studium excolendum inflammare possint.

§. 3. Sed huic res accedit alia haud minoris momenti. Negare non possumus, quod negare posse mallems, studium historiae ecclesiasticae, quo dubitamus, num aliquid homini Theologo magis sit utile, praecipue quatenus ad nos spectat, inter nostros frigere, saltem ab illis, qui alia dogmata

sequuntur, in conservandis atque exponendis actis ad suam confessionem pertinentibus, multo majorem operam collocari. Atque hac ratione factum est, ut talium monumentorum, quibus causa nostra feliciter defendi, aliorumque criminationes, quibus plus, quam par est, expositi sumus, elui atque deleri possent, penuria laboremus, & habemus vereri, ne posteritas de nostrae quoque tempestatis in rebus ecclesiasticis ab interitu vindicandis socordia, justas conquerendi causas inveniat. Eam igitur fovemus spem, non cum exiguo ecclesiae nostrae emolumento conjunctum fore, si ea ratione & praeteritorum temporum res gestae, quarum relationes hinc inde in scriniis delitescunt, alias blattis ac tineis futurae pabulo, in apricam lucem producantur, & quae quotidie accidunt inter nostros, victuris aetatemque forsan laturis chartis consignata, fideliter venturae aetati tradantur. Immo ita paulatim materiam colligi posse, ex qua suo tempore *Annales* ecclesiae nostrae accuratiores, quos desideramus etiamnum, & de quibus contexendis aliquis nostrum ab aliquo jam tempore cogitavit serio, consignentur, existimamus.

S. 4. *Primus* itaque & praecipuus locus assignabitur dissertationibus, observationibus, ac notis Theologico-Philologico Criticis scripturam sacram, aut rem Theologicam, vel illustrantibus, vel fulcientibus, sive prorsus

fus sunt *divendos*, five rariores, & breviuscu-
lae, ita ut foliorum Sibyllinorum instar disper-
sae sine hac ope nostra interitum minentur.

§. 5. Ut autem utile misceatur dulci, at-
que aliqua *varietate*, quae, ut Cic. ad fam. L.
V: ep. 12. ait, *plena cujusdam voluptatis esse, &*
vehementer animos hominum in legendo scripto re-
tinere solet, distinguatur, locum aliquem tri-
buemus accuratis recensionebus librorum,
non eorum solum, qui hac tempestate pro-
deunt, sed & jam olim vulgatorum, quorum
fata, historiam, atque argumenta non solum
exhibebimus, sed & modestum, si novae prae-
sertim ac paradoxae opiniones occurrent,
scrutinium atque judicium adjiciemus. Non
tamen hoc quisquam in eam partem inter-
pretetur, quasi nobis decretum sit hac opera
numerum diariorum literariorum augere,
quorum rempublicam literariam his diebus
abundare magis, quam indigere censemus. Quin
in unicoque fasciculo non ultra duos tresve
libros exhibebimus, eosque tantum argumen-
ti Theologici, aut cum Theologicis cognati,
& quidem, ut plurimum, nostris in oris ad-
parentes rarius, aut ignotos, quique in aliis
ephemeridibus non commemorantur. Id ta-
men dictum sit de integris librorum recensio-
nibus. † Alias accuratus, quantum quidem, *um*
fieri potest, OMNIVM librorum, qui a Refor-
matis publici juris tam in Germania, quam
reliquis regionibus fiunt, vel recuduntur.

quorumque ad nos venit notitia, catalogum; titulosque exhibebimus, in quibus diariis illorum argumentum legi uberius queat, indicaturi, cujus rei specimen vel in calce primae hujus sectionis apparet.

§. 6. Praeterea, quae ad illustrandam tum universam antiquitatem ecclesiasticam a primis Christianismi incunabulis, tum praecipue *ecclesiae nostrae*, ex quo diu Reformationis jubar orbi Christiano affulgere coepit, *historiam* faciunt, inserentur. Huc pertinent, scripta ac monumenta, sive inedita, sive minus nota, vel ex actis publicis deprompta, vel a Viris fide dignis nobis communicata, Epistolae clarorum Virorum ineditae, non inanes quidem, at rebus memorabilibus refertae, Commentarii (Memoires) de vita ac morte Theologorum, immo & aliorum egregiorum Virorum, quorum scripta, ac merita in Ecclesiam insigniora exstant, sive illi nostra aetate rebus humanis eximuntur, sive aetate praeterita diem suum obierunt, quando publico non multum innotuere; Tametsi autem potissima ratio habeatur illorum, qui in nostrae ecclesiae sinu vixere, atque de ea praeclarius meriti sunt, non tamen etiam illorum, qui extra illius communionem positi fuere, vitae accuratius perscriptae, si illae in aliis diariis literariis non exstant, at nobiscum communicabuntur, excludentur. Porro, quidquid in ecclesiis atque scholis nostratium memoratu dignum

dignum agetur, Doctorum, etiamnum superstitum, scripta, tata, molitiones, munerum, mutationes, obitus; dogmata recens nascentia, certamina cum adversariis, persecutiones, martyria, successus ecclesiae Protestantium, inter illos, qui ab eorum sacris abhorrent, quin & quae in ecclesiis diversarum confessionum geruntur, quatenus nostra ex iis aliquid vel sperare vel timere habet, ut ita ecclesiarum Reformatarum, earumque Doctorum status paulatim plene atque accurate queat cognosci.

§. 7. Eum denique in finem accedent, subinde de statu alicujus Academiae, vel Gymnasii, vel publicae societatis, ve etiam, inclutioris Ministerii, quorum Doctores publici & membra nostrarum sunt partium, relationes atque eorumque nomina, patria, aetas, dignitates ac munera, inprimis autem librorum editorum indices breviter quidem, at diligenter commemorabuntur.

§. 8. Liceat autem certas quasdam leges figere instituto nostro ad commodatas, quibus nos ipsos adstringemus, parati tamen eas mutare, quando ab aliis, quomodo emendari queant, edocti fuerimus. Gereraliter quidem exemplum nobis imitandum proponemus, egregiorum virorum, qui vel olim Observationum Hallensium, vel Miscellaneorum Lipsiensium, vel Oblationum spontaneorum (freywillige Heb. Opffer) Berolinensium,

sium, vel Historiae Criticae reipublicae literariae Amstelodamensis, in dias luminis auras edendorum, non sine insigni & sacrae & literatae catervae emolumento curam, susceperunt haectenus, atque suscipiunt etiamnum.

§. 9. *Lingua Latina* esto dominans. Ejus nimirum ope instituti nostri fructum non ad nostros solum Germanos, sed & Belgas, & toto divisos orbe Britannos, immo etiam alias nationes, idque ad venturam aetatem, cum linguarum vernacularum usus non exiguis solum limitibus contineatur, sed & singulorum ferme saeculorum intervallo per insigni mutationi obnoxius sit, propagari posse speramus. Fatemur enim nos in ea jam dudum fuisse, haeresi, nihil cum majori scientiarum nobiliorum detrimento conjunctum esse, quam si, ea, quae ad altiores disciplinas pertinent, praeter illa, quae scire sequioris sexus quoque interest, alio sermone, quam Romano, consignentur literis. Cujus quidem opinionis graves, neque contemnendas rationes forsan vel in hac Bibliotheca, aperiundi nobis dabitur locus. Interea tamen, si cui causae peculiare sint, alio ut sermone uti velit, fidei versionis curam habebimus. Monumenta autem & documenta publica vernacula lingua consignata, vel suo sermone ut plurimum patiemur frui, vel Latino loquentia facere, quando ex rerum circumstantiis commodo publico id convenientius fore judicabitur.

§. 10. Qui aliquid ad nos volet transmittere, in ejus positum esto arbitrio, nomen suum vel adscribere, vel celare, aut celari jubere. Si quis prius malit & nominis, & publici, quo quis fungitur, maneris fiet indicium. Praeter illud autem nullum quisquam a nobis expectet elogium. Graves enim atque arduae causae sunt, cur à laudationibus virorum, tametsi eas jure merentur optumo, nobis temperandum esse existumemus.

§. 11. Praecipue omnis rixandi ac convitiandi libido abesto, neque quidquam in Bibliothecam nostram intromittitor, quod alicujus existimationi obesse, aut duriuscule, contra quemquam dictum esse videri possit. Neque athleticam instituemus, vel palæstram, sed BIBLIOTHECAM, eamque THEOLOGICAM. Neque Marti, vel Furiis, sed DEO, qui Deus pacis est, & placidis Musis litabitur. *Ἐὶ δὲ ἴτε δοκεὶ φιλονεικὸς εἶναι, ἡμεῖς τοιαύτην συνθηθεὶαν οὐκ ἔχομεν, εἰδὲ αἱ ἀκκλησιασταὶ Θεοῦ.* Si quis tamen à nostris partibus alienus, nos audebit lacescere, novaque scriptis suis inferet, quibus nostram magis labefactari sententiam, suaeque novum accedere posse pondus existumet, is haut ægre feret, si ea placido subiecti examini viderit.

Tum enim, si quis erit, qui dictum in se inclementius

Existimabit esse, sic existumet,

Responsum non dictum esse, quia laesit prius.

Nias haut facile scripta ad controversias

Theo.

Theologicas pertinentia, & præter meram historiam ipsa dogmata, de rebus, quæ putantur fidei esse, excutientia admittentur.

§. 12. Id quoque juris nobis concedi postulamus, ut, si observationes, quæ nobis communicabuntur e trivio & vulgares, vel etiam ab aliis jam notatas, aut in iis aliquid vel erroneum vel noxium delitescereprehendemus, illas, quando suppresso nomine oblatae, supprimamus, aut, quando nomen additum est, placide auctorem de eo commonefaciamus.

§. 13. Ceterum omnia, quæ ad res Theologicas aliquo modo pertinent, neque cum honestate pugnantia, neque ab ὑποτιτωδελων ὑγιαίνοντων λογων longius abeuntia, etsi insolita sunt, atque a communi doctorum Virorum sententia discedunt, recipiemus lubenter. Ita tamen, ut id quoque conceptis verbis stipulemur, ne quisquam ab aliis prolata, atque heic inserta, nostris rationibus illico adscribat. Praebere enim hoc instituto occasionem unicuique volumus, cogitationes suas libere publici juris faciundi. Neque enim commodiorem viam hæc aperiri posse putamus, ad rerum sacrarum notitiam augendam, cum, quamvis ejusmodi conjecturæ non semper accuratissime rem acu tangant, dant tamen ansam aliis, eandem rem expendendi solertius, & post investigationem ulteriorem in ipsam veritatis arcem penetrandi.

Interea posteritatis erit, & aliorum extra partes positorem de re ipsa facere arbitrium. Immo nos ipsi observationibus, quas immiscebimus, literas initiales nominum nostrorum, adjiciemus, ne unius opiniones referantur in alterius censum, qui fortassis ab iis animo est alieniori. In hujuscemodi enim rebus dissentienti veniam petimusque damusque vicissim.

§. 14. Brevitati singuli auctores, quantum pote, operam dent. Saltem ultra tres quatuorve philyras singulae dissertationes non crescant. Si tamen majus spatium materiae requirat dignitas, integrum nobis esto, illam dividere, ac partem posteriorem sequenti tomo reservare. Singuli fasciculi circiter duodecim philyras absolvent, singulisque binis mensibus, nisi quaedam ex inopinato nobis remora injiciatur, prodibunt, fortassis & citius, neque enim temporis limitibus nos nimis coarctari patiemur. Unicuique sexto fasciculo index accuratus vocum Hebraicarum, & Graecarum, rerum & locorum scripturae illustratorum, accedet. Dabimus quoque operam, ut paulatim major & chartae, & typorum elegantiae habeatur ratio.

§. 15. VERITATIS studium tum in Theologicis, tum praecipue in historicis, suprema lex esto. Quod quantum nobis curae cordique sit, ut ostendamus, profiteamur eum apud nos ingentem initurum gratiam, qui, (ut ho-
mines

mines sumus, neque quidquam humani a nobis alienum esse putamus,) ubi erraverimus, non fida relatione decepti, nos amice monuerit, immo nos ea quantocytus, idque perlubenter, emendaturos pollicemur.

§. 16. His observatis legibus neminem ab hoc opere arcebitur. Nullum heic vel professionis vel religionis vel gentis erit discrimen. Iphis adeo, qui Romanis adhuc sacris operantur, haec Bibliotheca patebit,

Tros Rutulusve suat, nullo discrimine agetur.
Dummodo aliquid, quod ad confirmandam veritatem, vel illustrandas sacras literas faciat, adducatur. Praecipue autem Viros Fratres, qui nobiscum à cœtu Latinorum secessionem facere coacti & invariatae Augustanae confessioni addicti sunt, gratissimam rem nobis facient, si hoc promovere institutum, & quae illustrandae utriusque ecclesiae historiae inservire possunt, nobiscum communicare velint benevole.

§. 17. Literae, quas unusquisque, qui sua edi vult, sine nostris sumtibus ad nos curabit, inscribi possunt, vel nobis, vel Typographo, cujus nomen in limine exstat. Alias fasciculi ab iis, qui in Belgicâ vivunt, commode tradentur honestissimo Viro Antonio Schonenburgio, qui Amstelodami librariam exercet: Germani autem nostri tantum curabunt eos civibus nostris, in nundinis Lipsiensibus aut Francofurtensibus, aut Brunsvicensibus,


REGO

negotiorum causa versantibus, exhiberi, qui,
ut nobis porrò in manus veniant, non in vitia
operam dabunt. Interea non alium nobis finem
proposuimus, quam divini Numinis hono-
rem, ecclesiae emolumentum & reipublicae
literariae incrementum. Illo ne excidamus,
faxit ter optimus terque maximus rerum hu-
manarum Arbiter.

§. 18. Cum autem, *Si quisquam est, qui
placere se studeat bonis*

Quam plurimis, & minime multos laedere,

In his quidem nos nomen profitemur nostrum,
certam spem ac fiduciam concepimus, Viros
quoscunq; pietate atque eruditione insignes,
praesertim causae ecclesiarum Reformatarum,
aut addictos aut faventes hanc operam, quan-
tum in illis situm erit, aut symbolis suis aut
consiliis adjuturos. Quod si precibus nostris
quidquam heic accedere possit ponderis, eos,
ut hoc agant serio, cum officiose, tum perhu-
maniter, majorem tamen in modum rogamus
Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων
ἡμῶν. Scripsimus Bremae Chaucorum, post.
Kal. anni 1528 cc XVIII. quem tibi B. L.
laetum, ac prorsus ex animi sententia decur-
rere volumus.



Continentur hoc Volumine.

- I. Joh. D' OUTREINII ad locum Jer. XXX:
21. Diff. pag. 1.
- II. Jacobi HASAEI, de Computatione mensuram Itineris Paulini, quod Hierosolymis Romam suscepit, ad illustr. Actor. XXVII & XXVIII. Diff. p. 17.
- III. Theodori HASAEI, de titulo Ps. XXII. Diff. in qua illud *Hajeletb Haschachar* fuisse Organum Musicum probatur. p. 34.
- IV. Frid. Ad. LAMPE, Harmonia utriusque Decalogi exemplaris, quod Ex. XX, & Deut. V. existat. p. 75.
- V. Refutatio narrationis, quam de ejectione Joh. Arndii, fecit A. W. Boemius. p. 111.
- Th. HASAEI, observationes ad illam refutationem p. 126.
- VI. Ant. DRIESSEN respons. ad dubium ab H. Deusingio circa loca quaedam Apocalypseos motum. Inter alia illius, ut & L. C. Sturmii de numero Bestiae 666. hypotheses examinantur p. 139.
- VII. Herm. DEUSINGII de eodem numero cogitationes p. 155.
- VIII. Christ. FUNCKII Catalogus V. D. Ministrorum in urbe *Auricensi*, p. 160.
- IX. Index Librorum Theologicorum a Reformatis a. 1717. editorum vel recusorum, Latine p. 167.
Gallicè pag. 176.

JOHANNIS
D'OUTREIN

(V.D.M. Amstelod.)

DISSERTATIUNCULA

In JER. XXX: 21.

JOHANN
DOFFERLIN

(A. D. M. Anstichol.)

DISEASES OF THE

IN THE



Jer. XXX: 21.

והיה אדירו ממנו ומושלו מקרבו יצא
והקרבתיו ונגש אלי כי מי הוא זה ערב את לבו
לגשת אלי נאם יהוה:

ET erit Magnificus ejus ex ipso &
Dominator ejus ex medio ejus
egredietur: Et ipsum appropinquare
faciam & ad me accedet; nam quis il-
le est, qui spondeat cum corde suo, ut
ad me accedat; inquit Jehova?



Raculum hoc admodum ce-
lebre, de Messia agere, non
opus est pluribus demon-
stratum dare. Vix enim
quisquam est Interpretum
Christianorum, qui ea de

re dubitet. Excepto tamen Grotio, qui
ad Zorobabelem referre non erubescit. Sed
meliora ipsum doceat ipse Targumista, qui
hunc in modum παραφραζει; Et inungetur

A 2

Rex

Rex eorum ex illis, & CHRISTUS eorum ē medio eorum revelabitur. Qui etiam consentientes habet Davidem Kimchium, Aben Esra, Abarbanelem, aliosque ex ipsa gente recutita. Et ratio hoc suadet. Primo enim commate 9. de Messia jam actum fuerat sub nomine Davidis. Sed *servient Jehovah Deo suo & Regi suo Davidi; quem ipsis suscitabo.* Novi equidem Grotium non vereri hoc quoque ad Zorobabelem detorquere, sed invitis ipsis Judæorum magistris & rei veritate, ut rectè probatum dedit Augustus Pfeifferus, in *Dubiis vexatis*, loc. 48. Deinde prædicata hujus vaticinii talia sunt, ut Zorobabeli nequaquam conveniant. Præterquam enim quod Zorobabel vix possit tantum cum *יְהוָה*, nuncupari *Magnificus & Dominator ejus*; (quod sane singularem eamque præcellentissimam indigitat personam, quæ nullos dignitate sibi habeat æquales;) de eodem *Magnifico & Dominatore* testatur oraculum, ipsum sacerdotio apud Deum functurum, quod certè in Zorobabelem non quadrat, qui princeps quidem, sed Sacerdos nequaquam fuit. Tertiò, ex harmonia scripturæ propheticæ, & ex iis, quæ impleta fuere in Jesu nostro Nazareno, meridiano sole clarius elucet, prædicata hujus vaticinii in omni sua vi & *εὐαγγελία* soli Messia convenire, & in Domino nostro J. C. quam accuratissime adimpleta esse.

Quin & eò nos ducit ipsa vaticinii hujus *εὐαγγελία*. In præcedentibus enim vates nos-
ster

ster ea prædixerat, quæ passim in scriptis prophetis assignantur, ut *signa* temporum, secundum quæ & quibus adimpletis, *Messias* erat expectandus. Qualia futura erant. I. Liberatio ex Captivitate Babylonica. 2. Restauratio templi ac civitatis Hierosolymitanæ, Com. 18. 3. Felix rerum Judaicarum, successus, atque inde argumentum gratiarum actionis ac gaudii. 4. *Multiplicatio* Israelis super patres. com. 19. Quæ, si conferantur cum Deut. XXX. 1-5. Jes. VIII, 23. IX: 1-3. Jer. 23: 3-5. facile constabit, ea fuisse, *משיחא דאורייתא*, quo expectandus inter Judæos erat Messias. Adeoque jura merito hoc vaticinium cum præcedentibus nequitur per copulam vati, *Et*.

In vaticinio ipso notanda,

I. Excitatio dignissimæ alicujus personæ Regis nempe *Messie*. ERIT MAGNIFICUS EJUS EX IPSO ET DOMINATOR EJUS è MEDIO EJUS EXIBIT. II. Vocatio ejus ad munus etiam Sacerdotale, & sponsum, reapse & cum effectu obeundum, AIQUE EGO APPROPINQUARE FACIAM EUM, ET ACCEDEI AD ME. Cum addita ratione, cur ille solus præ omnibus aliis hominibus ad hoc munus vocandus esset: QUIS ENIM EST ILLE, QUI CORDE SVO SPONDEAT AD ME ACCEDERE?

Ad primum quod attinet, consideranda hic veniunt & Messie quædam *epitheta*, digni-

tatem ejus significantia. *Primò enim appellatur מַגְנִיפִּים, MAGNIFICIUS EJUS.*

Vox מַגְנִיפִּים de Deo & hominibus usurpatur, nec non de rebus inanimatis; notatque eum, qui dignitate & honore ac gloria pollet, nec non robore ac potentia. Hinc LXX passim transferunt per Δυναμῆς, Θαυμασὸς, ἰσχυρὸς, ὑψηλὸς; Et in plurali numero מַגְנִיפִּים ipsis sunt μεγαλῶνες, Magnates; De Deo: inquam, usurpatur, I. Sam. IV: 8. Ubi inquit Philistæi: *Quis nos eripiet è manu istorum Deorum MAGNIFICENTISSIMORUM?* Et Psalm VIII: 2. *O Jehova, quam MAGNIFICUM est nomen tuum per universam terram!* Jes. X: 34. *Libanus per MAGNIFICUM casurus est.* Et Jes. XXXIII: II. *In Zione Jehova MAGNIFICUS erit.* &c. quanquam ego hæc tria loca posteriora (a) ad *Filium Dei, Messiam* nempe, potius retulerim, unde hoc epitheton, (b) *Divinam* in eo agnoscit & præ-

(a) In Jes. X. 34. Videndus Cl. Vitringa Comment. in locum.

(b) Ludovicus Carretus (Profelyta, ex Judæo Christianus (in epistola ad Judæos, hebraice conscripta, & excusa Parisiis 1554. hunc locum allegat, ad probandum *divinitatem* Christi. " Hic duo, inquit, sunt " observanda. Primum, quod dixit, FORTIS EJUS. " ut ostenderet *divinitatem*, quomodo illud fortis in " sublimi Dominus. Secundum, quod ait. QUIS " EST QUI DIRIGAT COR SUUM, UT APPRO- " PINQUET MIHI? Videtur significare *appropin-* qua-

præsupponit *Majestatem*, dignitatem, potentiam ac præcellentiam: vel saltem *regiam Majestatem* ac principatum. De regibus enim vox אֲדִירִים Pf. CXXXVI: 18. Quin imo de Pastoribus Populi Israelis, cum politicis, tum Ecclesiasticis, hæc vox adhibetur, Jer. XXV: 34-36. Ex quibus omnibus magna quæque de Messia heic designato, præsumere licet. Ipsum nempe futurum *Regem gloriæ*; *Dominum* præpotentem; Heroem validum ac fortissimum, nec non. eximium ac *Magnificum* populi sui *Ducem* ac *Pastorem*.

Verum non est de nihilo, quod cum affixo relativo appelletur *Magnificus* sive *gloriosus EIUS*, scilicet *Israelis*, sive *Jacobi*. *Jehova* enim est, qui loquitur de *Jacobo*. vers. 18, *Messias* autem *Magnificus* sive *gloriosus Israelis* appellatur, eodem sensu, quo alibi nuncupatur, אֲבִיר יִשְׂרָאֵל, sive אֲבִיר יַעֲקֹב. *fortis* vel *heros Jacobi* vel *Israelis*. Jes. I: 24. & quod passim occurrit קָדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Sanctus Israelis*. (Voces enim *sanctus* & *gloriosus* ejusdem vel affinis sunt signi-

A 4

signi-

-
- ” quationem & unionem admirabilem, quam, quum
 ” narrabitur, non credant (nimirum unionem divi-
 ” nae naturæ cum humana) sin minus, quænam esset
 ” Magnitudo ejus? Quot enim Reges prodierunt
 ” ex Israel, quot Prophetæ & Sacerdotes appropin-
 ” quaverunt ad Deum, ut scriptum est: Et Moses
 ” accessit Exod. XX. Et Sacerdotes, qui Appro-
 ” pinquarunt ad Deum.

significationis. Ps. XVI: 3.) 1. Quoniam promissio de excitando, seu mittendo Messia ad *Israelem* proprie pertinebat. Et 2. in eo potissima *Gloria* populi Israelitici posita fuit; quod ad ipsos mittendus esset Messias; *Germen* illud *Jehova*, quod futurum esset gloriae & honori, & *fructus* ille *terrae*, qui futurus esset *excellenciae* & *ornamento* superstitibus Israelis. Jes. IV, 2. Hinc *gloria* templi *secundi* major erat futura *præ gloria primi*; quia Messias illud pedibus suis calcaturus, & *præsentia gloriae* suae impleturus erat. Hag. 2.

Alterum epitheton, quo Messias designatur, est *לשׁוּב* *Dominator* & quidem *לשׁוּב* *Dominator EJUS*, nempe *Israelis*. Notissimum est Deo T. O. M. *Dominium* sive *Dominatio-* nem tribui in omnes plane creaturas. 1. Chr. 29: 12, 2. Chron. 20: 6. Quod *Dominium*, *universali* sua *providentia naturali* in omnes *creaturas*, & *morali* in creaturas omnes *rationales* exercet. Verum ab hoc *regno providentiae* distinctum est *regnum* & *Dominium gratiae*, quod ab aeterno exercere decrevit in solos electos ac fideles. In quo regno gratiae *præcipuas* dominandi partes tradidit filio suo Ps. 116. Quod regimen gratiae ab aeterno quidem decretum fuit & destinatum filio Dei. Luc. XXII, 29. Verum in tempore demum, & quidem, *præcipuè* in plenitudine temporis executioni dandum erat. Ideoque hic promittitur Messias sub titulo *Dominatoris*, Præluxerat

rat huic vaticinio non tantum patriarcha Jacobus. Gen. XLIX. 10. & Bileamus. Num XXIV. 17, 19. nec non Hanna Prophetissa. 1. Sam. II. 10. verum etiam Rex David 2. Sam. XXIII. 3. *ERIT DOMINANS in hominibus Justus, Dominator Timoris Dei.* Præterquam, quod variis in Psalmis Davidicis *Regnum Messia* graphice depingitur, ut Psalmo II, 6. 12. VIII. 6. XVIII. 44, 51. XXI. 2. XXII. 28, 29. XXIV. 7-10. XLV. XLVIII. LXXII. CX: quibus cum, & alia loca ex scriptis prophetis jūngi possunt, ut Jes. IX. 5, 6. Jes. XL. 10. Zach. VI. 13.

Verum Emphasi non caret, quod speciatim appellatur *Dominator EJUS* scilicet *Israelis* Olim sub V. T. Deus quidem (& per consequens (a) etiam *Filius Dei*) *Dominium* exercebat in populum *Israel*, Num. 23, 21. Psal. 59, 14. & 114: 2. De qua *Theocratia* vide commentarium nostrum in Luc. XVI. §. 379: 402.

Verum I. *Filius Dei* tantum *Dominium* hoc exercebat, ut Deus, in eadem, cum Deo patre essentia; & ut designatus *Mediator Dei*

A 5

&

(a) *Etiam Filius Dei.*) Nec tantum etiam, verum præcipue *Filius Dei*, secunda Deitatis persona. Regis vices gerebat in *Theocratia Judaica*. Quod demonstratum vide in gallico tractatu, cui titulus: *Recueil de trois traits importants à la religion.* Quorum primum agit sur la *Theocratie d'Israel*. Confer dedicationem, præfixam tractatui nostro vernaculo de *Tabernaculo Mosaico*.

& hominum καὶ ἀπεόληψιν. (2.) Theocratia illa Israelitarum maximam partem *externa* erat & *typica*. 3. *Dominium hoc administrabatur per Deos dictitios*. Moses enim *Rex* fuit in *Jeschurun*; & post ipsum *sederunt* in *Cathedra* *Mosis*, qui *Dominantium nomine* veniunt. *Jes. 49.*

Verum hic loci jam *Messias* promittitur, ut futurus *Dominator* *Israelis*. Quo titulo etiam insignitur *Mich. V. 1.* Quatenus, 1. ut *filius Dei ἐνσάρκωθεὶς regnum & dominium nunc capesseret*. 2. *Externam illam Theocratiam* in *regnum Spirituale* (Deo magis conveniens) converteret. 3. *Omnes illos Deos dictitios & Dominatores vicarios amoveret, Dominio in se ipsum translato*. *Ezech. XXI. Jes. XXII. 21. Pf. LXXXII.* Non equidem inficias it *Propheta noster, Dominium Christi ad gentes etiam extensum iri* (id enim diserte docent *vaticinia, cum Jacobi, Gen. 49: 10. tum etiam Davidis, Pf. 2: 8. 22: 29. 72: 8. 110: 2. 103: 9. & Jesaia. cap. 49.*) verum *primo inter Judeos regnum suum erectum, & Dominium in ipsos exerciturum, quatenus Jugum regni ejus in sese susciperet, Dein demum perrecturum ad gentes.*

Ast operæ erit pretium, ut *Magnifici hujus Dominatoris* indagemus *originem & natales*. Verum caute hic nobis est *instituumdum*. *Salomo enim ipsum ab aeterno apud Deum fuisse asseverat, Prov. VIII.* Et *Michas testatur ejus egressiones jam inde fuisse ab initio, ante dies seculi.*
Mich.

Mich. V. Quod intelligendum de *divina* eius *natura*, secundum quam jam ab æterno, in consilio pacis, de ipso pronunciare potuit Jehovah: *Tu es Filius meus, ego hodie genui te.* Ps. II, 7.

Sed oportebat, ut non tantum *Deus* vel *Dei filius*, sed & *Filius HOMINIS* esset Messias. Secundum istam autem naturam ipsius hic designatur origo, ut futura *ex Jacobo*, & quidem *ex medio ILLIUS*. Protevangelium Gen. III, 15. tantum indicaverat, Messiam *ex Eva*, proditurum, utpote, qui *semen* futurus esset *mulieris*; verum per varios temporis articulos, promissio illa magis magisque *restricta* fuit. Primo quidem ad *Sethum*, exclusa Caini progenie; à Setho transit ad Noachum; à Noacho ad *Semum*; à Semo ad *Abrahamum*; Ab Abrahamo ad *Isaacum* præterito Ismaele & Keturæ filiis; ab *Isaaco* ad *Jacobum*, excluso *Esa-vo*; à Jacobo ad *Judam*; & inter Judæ demum posteros ad Davidem & Salomonem. Huc faciunt vaticinia Gen. 49: 10. Deut. XVIII, Num. XXIV, 17. Jerem. XXIII, 5.

Interim non sine emphasi vates noster dicit, non tantum Messiam futurum *ex Jacobo*, sed addit, è *MEDIO* ipsius *prodibit* seu *egredietur*. Nescio an illud è *MEDIO* ipsius *egredietur*. de *generatione* possit accipi, & comparari cum alia Phrasi, *prodeundi ex LIMBIS* seu *ex FEMORE* *Abrahami* vel *Davidis*. Sed potius eo intendi putem, Messiam, etiamsi *prodi-*
turus

turus esset *ex tribu Juda*, & stirpe quidem *regia*, attamen natales suos non habiturum *ex primaria* aliqua familia, tum temporis florentissima; sed *ex viliori* quadam domo, atque ita è *medio* quasi *populi*. In hunc sensum propheta, Dei nomine, dicebat Jeroboamo: Sic ait *Jehova Deus Israelis*: *Ecce ego te extuli de MEDIO* hujus *populi*; id est, ex statu & conditione hominis privati & plebeji, & *constitui Te Antecessorem* populo meo *Israel*. 1. Reg. XIV, 7. Messiam autem *ex Davidis* quidem *regia* stirpe, sed *collapsa* & *ad plebejam* *humilitatem dejecta*, prognatum iri, non obscura testantur vaticinia. Gen. 49, 10. 2. Sam. 23, 5. Jes. XI, 1. Amos. 9:11. Ezech. 17, 22. & *regem ac Dominatorem* futurum, sed *ex statu* admodum *humili*. Ps. 22, 7. Jes. 53, 2. 3. Zach. IX, 9.

Verum, non tantum Rex futurus erat *Messias* & *Dominator*, sed ut regnum illud *jure acquireret* & *sibi vindicaret*, necessarium erat, ut etiam *Sponsoris* & *Sacerdotis* fungeretur munere. Ad quod divinitus vocatum iri Messiam, his innuit verbis: *Et FACIAM APPROPINQUARE IPSUM, ET IPSE ACCEDET AD ME*. Phrasis hæc *appropinquandi* ad Deum aliquando latiori sumitur sensu, pro *omni commercio*, quod fideles exercent cum Deo per fidem, per respicientiam, per preces, &c. Ps. 73: 28. *Strictiori* autem sensu de *eis* dicitur, qui *publicum* aliquod *munus* in *cultu*

cultu divino obeunt. Uti olim in Tabernaculo *Levita*, Num. XVI, 9. Strictissimo autem sensu *ad Deum appropinquare* & *accedere* dicebantur *Sacerdotes*: Exod. XIX, 22. Lev. X, 3. Num. XVI, 15. Ezech. 44, 15. 16. Quo etiam nos ducit significatio vocis קריב quam alibi euucleavi; & quidem in tractatu vernaculo de *Melchizedeco*. Diss. de *Aarone* typo *Christi*. Inter *Sacerdotes* autem nullus propiorum ad Deum habebat accessum, quam *Pontifex*, cui soli in intimos *Adyti* recessus penetrare erat integrum. Quem Pontificem solius *Jesu Christi* Emblemata gessisse, nulli potest esse dubium, qui scripturas vel à limine salutavit. Filius quidem Dei jam *ab eterno*, in consilio pacis, *appropinquaverat* ad Deum Patrem, quando partes *Sponsoris* & *Sacerdotis* in sese suscepit, verum hic in futuro dicitur; *Ego faciam ipsum appropinquare, & ipse ad me accedet. Quod futurum erat.* I. Ante promotionem ejus ad regnum & Dominium suum capeffendum, quando *animam*, id est, *vitam* suam, poneret in sacrificium pro peccato. *Jes. LIII, 10*, qui accessus ad Deum respondet accessui typico Pontificis ad Deum per oblationem sacrificii expiatorii in die *Cipurim*. Nam *Christus Pontifex* simul futurus erat *Sacerdos* & *Sacrificium pro peccatis*, quo etiam spectat vox הקרוב, de sacrificiis potissimum usitata. 2. Postquam autem in sacrificium piaculare sese Deo obtulisset, tum demum evehendus esset ad dignitatem

tatem regiam, ad dextram Dei patris: Juxta vaticinium Davidis Pf. CX: 1, 2. Verum non tantum in cœlis regio fungeretur munere, sed etiam *Sacerdotali*, *fugiter accedendo* ad Deum, vi sacrificii, semel peracti, ad *intercedendum* pro electis & credentibus regni sui subditis. Qui accessus ad Deum olim effigiatus fuit per accessum illum pontificis in die *expiationis* magnæ, in *sanctum sanctorum*, deque ea functione sacerdotali præsertim intelligenda sunt vaticinia. Psal. CX: 4. & Zach. VI: 13.

Notandæ autem sunt duæ distinctæ locutiones, quæ hic occurrunt: *EGO APPROPINQUARE FACIAM IPSUM AD ME; & IPSE AD ME ACCEDET.* Posset quis cogitare *duplicem* hanc phrasin designare *duplicem* illum sacerdotalem *accessum* ad Deum, quem modo diximus, nempe *ante & post* ejus glorificationem. Sed potius, (quia prior phrasis est in *HIPHIL*, altera in *Kal.*) per priorem designari putem Messiam ex *voluntate* Dei patris atque ex ejus *mandato*, sacerdotis munia obiturum, cum *ante*, tum etiam *post* glorificationem sui, quod satis innuitur Psal. CX: 4. Jes. LIII: 10. Per alteram autem phrasin (*et ipse ad me accedet*) ipsum *sua sponte & voluntariè* sacerdotis partes, ut in se *suscepit*, sic etiam eas fideliter, & summa cum spontaneitate, *obiturum*. Confer Job. 33: 23. 24. Pl. XL, 7-9. Jes. L, 4. Jes. LIII, 7. *Quin & ipsam*

ipsum, vi sacrificii semel peracti non tantum *in caelos* ad Deum assumptum iri, verum etiam *jure* ac potestate sua in caelos *adscensurum*, ut isthic pro electis suis ad Deum *accedat* & *intercedat*.

Si autem *rationem* quis sciscitetur, cur ipse *Dei filius*, (persona tam illustris & magnifica) *sacerdotali* isti functioni esset *adhibendus*; in promptu causa est: Quia *nullus* erat *hominum* vel *angelorum* isti muneri idoneus. Quod emphaticè indigitat hisce verbis noster Propheta: *QUIS ENIM ILLE, QUI CORDE SUO SPONDEAT; UT AD ME ACCEDAT, IN- QUI JEHOVA?*

Interrogationes ejusmodi validissime aliquid *affirmare* vel *negare* notius est, quam ut debeat demonstrari. Adeoque perinde est, ac si dicat oraculum: *NAM NEMO EST ILLE, QUI CUM COKDE SUO SPONDEAT, UT AD ME ACCEDAT.*

Notanda est phrasis *והוא ייחיד*. Quæ *eminentissimam* designare videtur *personam*, & quidem *singularem*, atque *unicam*, forsan allusione facta ad *Sacerdotem summum* *Veteris Testamenti*, qui unicu tantum erat, & *maxime insignis*, inter *Judæos*: Vel, *כא"ל אב- תידיעא*, cum plures essent sub *V. T.* *Sacerdotes*, eodem simul tempore & *successivè*, *Christum* tantum *unicum* futurum *Sacerdotem*, & *unicè idoneum*, ad *accessum* ad *Deum* pro populo suo. Et forsan *divina* ejus *natura* & *dignitas* per
 vocu-

voculam יהוה, non obscure innuitur. Judæi certè inter *nomina* divina etiam illud יהוה recensent.


Deinde etiam notanda venit phrasis אֶת־לִבּוֹ לְגִשְׁתָּ אֵלַי OPPIGNORARE COR SUUM AD ACCEDENDUM AD ME. Quæ locutio nihil aliud, multorum quidem iudicio, innuit, quam nullum esse, aut posse reperiri, qui *ausit*, vel qui eam animi *confidentiam* habeat, qui tanta de se & dignitate ac meritis, atque potentia sua jure *presumat*, ut veri *Sponsoris* ac *Sacerdotis* vices apud me obbeat. Quod revera se ita habere nos docet Elihu. Job. 33: 23, 24. & Pfalteres Pf. 49: 8-10, 40: 8, 9.

Vel potius, quia non dicitur, quis est qui בלבו in CORDE SUO, *ausit spondere*, verum אֶת־לִבּוֹ COR SUUM *ausit oppignorare*, eo respicere videtur oraculum, quod ipsum COR suum, id est *animam* suam, *vitam* suam, cujus in corde exitus sunt, oppignorare *ausit*, in sacrificium pro peccato, ut redemptionis pretium, Jes. LIII: 10. Matth. XX.

P. S. Hujusque ante aliquot annos scripseram, quum sub finem anni MDCCXII. Reverendum Collegam D. Alphenium hunc textum pro concione pertractantem audivi, qui observabat, pericopam illam sic etiam transferri posse. Etenim quisnam est ille? (conter Jes. LXIII, 1.) Cor suum oppignoravit ad appropinquandum ad me: Dicitur Jehova. Belgicè

gicè: Want wie is hy? Hy heeft syn herte borge gestelt om tot my te genaken. Quomodo si accipias, sensus non multum variabit. Tunc enim oraculum nos revocat ad aeternam in consilio pacis Filii Dei sponsionem, cujus vi nunc in carnem erat mittendus, ut sponsionem illam reapse prestaret, bene Sacerdotis partes implendo & ad Deum, per victimam sui ipsius, & consequenter per intercessionem etiam, appropinquando.

ὕψι τὰ μὲν δὴ ταῦτα.



II.

JACOBI HASAEL,

J. U. D. Et Philosophiae moralis in illustri
Gymnasio BREMENSI Professoris P.

DE

COMPUTATIONE MENSIVM PAULINI ITINERIS,
QUOD HIEROSOLYMIS ROMAM SUSCEPIT.

Ad

Illustrationem capitis XXVII. & XXVIII.
Actorum Apostolicorum

DISSERTATIO.

ARGUMENTUM.

Hic non de anno adventus Pauli in urbem, sed de mensibus exacti itineris disputatum iri. §. 1. disquiritur de mense, quo Paulus in Creta fuit ex Act. XXVII: 9. probaturque triplici argumento jejunium,
B de

de quo ibi mentio, fuisse nullum ex tribus in mense
Tbeeth: §. 2. sed eo indicari *festum expiationis*
magnam, diei X. Tisri, quod, ut *maximum*, per excel-
 lentiam dictum תנין & *υψηλα*, §. 3. Ex hac sen-
 tentia totius itineris Paulini calculus illustratur va-
 riis animadversionibus. *ωπαχειμασιου*, hibernare,
ωπαχειμασια hiemationem notat, non tempestatis
 evitacionem contra Heinsium. §. 4. & 5. Elucidantur
 eadem ex moribus Graecorum Romanorumque clausi &
 aperti maris, quorum hi mare a VI. Eid. Martias ad
 III. Eid. Novembr. *apertum* & dein *clausum* habebant.
 §. 6. Illos itidem post *Dionysia* aperuisse ex Theophra-
 sto docetur: haec fuisse *majora Dionysia*, quae verno
 tempore mense Elaphebolione celebrabantur, monetur.
Tria erant Athenis *Dionysia*, saepe confusa, §. 7. aliū
 tempus *clausi* & *aperti* maris ab ortu vel occasu *Vergi-*
liarum computant. §. 8. ratio cur Paulus per *tres*
menses in insula Melita commoratus est. Utrum ibi
tres menses integros exegerit, an *tertio* hinc discesse-
 rit? Act. XXVIII: 11. elucidatur. Item Deut. XIV:
 29. & Act. XXIV: 1. *μετα* cum *accusativo* notat fac-
 pe termini tempus *labens*, non *praeterlapsum*. §. 9. Ex
 dictis colliguntur *menses*, quos Paulus in hoc itinere
 exegit, eumque *Augusto* circiter *Hierosolymis* disces-
 sisse, & *alterius* anni mensis *Aprilis* exordio *Romam*
 pervenisse, indicatur. §. 10.

§. 1.



U primo planoque intuitu tuis,
 benevole Lector, oculis in ipso
 dissertationis exordio contem-
 plandum exhibeam, quid in ea
 dicturus sim probaturusque, scias velim,
 me nulla ratione animum induxisse *aeram*
 feu

feu *annum adventus Pauli in Urbem* Chronologicis laboribus eruere. Non enim ea res tam facili negotio expediri potest, quod ista computatio cum anno Christi nativitate, ascensionis, item Pauli conversionis, & itinerum variorum temporibus indivulso nexu cohaereat. Quae cum singula nondum ab ullo Chronologorum ita excussa sint, quo vel ullius harum rerum certum fixumque & indubitatum annum scire possis: Ita unusquisque doctorum virorum annorum rationes computat, ut eorum scriptis perlectis multo sis incertior, quam dudum. Neque haec res aliter contingere potest, cum omnes, quotquot his studiis operam dederunt, a semet invicem diversi sint; Et nullibi sit, in quo certum possis pedem figere, atque infinitis eae res preman- tur rebus dubiis, quas nemo majori opere & cura collegit, ac vir summus Fr. Spanhe- mius in dissert. de *conversionis Paulinae Epo- cha*, quam T. II. oper. L. III. pag. 311. sqq. reperies; Cum quibus, quae passim in historia Ecclesiastica Nov. Test. sec. I. habet, conferri possunt. Atque ut his rebus singulis, ita cum maxime quoque in computando *anno Paulini in urbem adventus* nullius fere erudi- ti hominis computum cum alterius sui ordi- nis viri, rationibus stat concordibus, quod ex plerorumque discrepantibus senten- tiis constat, quas exhibet idem vir doctus

Hist. Eccl. N. T. sec. I. Cap. VI. §. I. Missio
itaque certiori hujus itineris aeram compu-
tandi labore, quam erui posse desperamus,
id operae dabo, ut ostendam, quibus po-
tissimum anni *mensibus* Paulus hoc iter ma-
ritimum peregerit. Quod, cum ad historiae
& Chronologiae temporum Paulinorum: tum
ad Caput ultimum in Actibus Apосто-
licis, lucem aliquid conferet, speramus
hunc laborem non plane fore infrugiferum.
Præcipue, cum & exinde apertum fiet, quod
vix observatum ab aliis scio, Paulum *duos*
diversos annos sibi subsequentes, aut saltem
utriusque *partem*, (quod medio unius coep-
tum sit, & alterius principio Romam vene-
rit) hoc iter detinuisse.

§. 2. Quo itaque aliquid certi in his re-
bus dubiis nanciscamur praesidii, prius
quam ad cetera delabimur, terminus, à
quo potest iniri computatio, figendus est.
Hunc dabit Act. XXVII: 9. ubi memorat D.
Lucas, cum in Creta detinebantur, *ὡς εἰς αὐ-
τὴν ἡμερὰν παρεληλυθέναι ἑβδομήκοντα ἡμέρας* *JEJUNIUM jam praeterlap-
sum fuisse.* Proinde, si sciamus, quinam di-
es *jejunii* hic innuatur, quem Judaei cele-
braverint, notum simul erit facillime *mensis*,
quo Paulus in Cretae maritimis locis tum
commorabatur. Scimus summum Scaligerum
in libro de Emendatione temporum, &
plerosque viros doctos, qui eum magno nu-
mero

mero sequuntur, censere hoc *jejunium* esse illud, quod Judaei mense *Thebeth*, celebrabant. Quam sententiam, utut alii ex eruditorum ordine jam repudiaverint: juvabit tamen eam ex genuinis fontibus Historiae Apostolicae subruere, & ostendere, nullum jejuniorum mensis *Thebeth* (*tria* enim eo celebrabantur) heic loci indicari. Mensis enim *Thebeth* (1), velut á Chronologis dudum observatum, cum Romanorum partim *Decembri*, partim & maxime *Januario*, Graecorum vero *Gamelione* convenit. Atqui eo tempore dudum & plus exacto mense mare *clausum* fuit, cum ex *Graecorum*, tum *Romanorum* moribus, ut postea probabimus §. 5-8. neque instituebatur ob saevitatem maris ea tempestate navigatio. Nostri vero, tempore illius jejunii, adhuc mare pererrabant, tendentes navi *Alexandrina* in *Italiam*, ut ex vss. 6-9. Cap. XXVII: apparebit. Non potuit itaque illud in mensem *thebeth* incidisse. Deinde (2.) inter jejunium *Thebeth*, cum ad VI. Eid. *Martias*, quo *mare aperiebatur*, (vide §. 6.) modo menses *duo* intermedii fuerint: Contra nostri, cum jejunium erat, adhuc in *Cretae* portu commorabantur. Actor. XXVII: 8. posteaque multum temporis exactum fuit, usque dum *Maltam* venerunt, de quo late eodem capite; *Maltae* vero per *tres menses* hibernarunt, antequam *Italiam* peterent, Actor.

XXVIII: 11. praestolatione illa in hac insula tam diutina qui opus fuisset, si tum mare dudum *apertum* fere *ante* menses *binos* nacti fuissent? Neque hic opus esse varias hujus rei causas, ut *κρησφύγελον*, comminisci, censeo, cum ipsae S. litterae in eam nos ducant cogitationem, tam diu naufragam multitudinem debuisse in insula Melite per *trium mensium* spatia moras necere, usque dum mare VI. Eid. Martias aperiebatur. Atque hoc tempus priusquam nanciscerentur, tres menses circiter labi debuisse, ex nostra dein computandi hypothesi indicabimus, §. 9. Denique (3) cum *jejunium*, quod per excellentiam á Iudaeis *υψηλα* appellatur, ut heic loci vs. 9. aliud sit, quam ullum eorum quae in Thebeth incidunt, quorum nullum hoc singulari privoque venit nomine (vide §. seqq.) á Scaligeri sententia divortium faciendum esse facile quivis pervidebit.

§. 3. Hae vero causae faciunt, quo hanc *υψηλα* esse X diem Tisri ex aliorum eruditorum sententia facillimum in modum largiar. Observatum enim est viris doctis in Judaicorum magistrorum scriptis *תענית* *jejunium*, & in scriptis Josephi, Philonis, itidem Iudaeorum, *υψηλας* vocem sumi per excellentiam de *יום הכיפורים* seu *die magno expiationis*, qui, ut ignotum nemini, in diem X Tisri mensis semper incidebat: vide Elegantissimi & longe doctissimi. H. Re-
landi

tandi Antiq. Hebr. part. IV: Cap. VI. §. 1.
 Neque hic dies sine ratione καὶ ἐξοχήν voca-
 batur *jejunium*, quod erat omnium jejuni-
 orum, á Judæis celebratorum, *maximum*,
 unde is dies quoque רבא נדיא MAGNUM
 JEJUNIUM vocatus in Echa Rabbati.
 LXXX: 1. (a) Eo enim, ubicumque loco-
 rum.

B 4

(a) Ita quoque non solum in Midrasch Ruth. 46 :
 4. quod jam loco citato notavit Cl, Relandus, sed &
 in Bereschith Rabba f. 11. vocatur. Idem Vir, nun-
 quam sine laude nominandus, eodem libro Cap. X: §. 1.
 observavit hinc illustrari posse verba Epiphanií *adver-*
sus Haereses scribentis unum jejunium Judæis vo-
 catum esse *magnum*, & alterum *parvum*, ita ut per
 hoc יום כיפור קטון *dies expiationis parvae*, per il-
 lud יום כיפורים *dies expiationis* intelligatur. Qui-
 dam Interpretes illum quoque innui existimaverant Jer.
 XXXVI: 6. quando ibi in *die jejunii* Baruchus a Jere-
 mia jubetur verba Dei ex volumine legere, sed huic
 interpretationi refragari videtur, quod deinde com-
 mate 9. id factum dicatur *anno quinto Jojakimi MEN-*
SE NONO, quod non de die magno expiationis
 explicari posse dicas, cum ille non in mensem nonum,
 cujus hic fit mentio, sed septimum, i. e. Tisri incidit.
 Nisi fortassis illum mensem, non ita dictum esse velis,
 quasi nonum anni, sed nonum mensem, anni sexti
 regiminis Jojakimi. Alias, quam accurate illo die
 jejunium observaverint Judæi, non solum ex codicis
 Joma c. VIII. §. 1. patet, sed et ex codice טבות c. III.
 §. 2. p. 116. Ed. Coccej. ubi inter vapulatuross recen-
 setur האוכל ביום הכפורים, *comedens die expia-*
tionis. Quin & in Kerithoth c. 1. tali exterminii poena
 decernitur. Illudque expressa Dei constitutione niti-
 tur, in Lev. XVI: 29 & XXIII: 29, 30. T. d. H.

rum Judaeis erat habitandi locus, observabatur summa *πέλωρ η̄ σιλῶρ ἀποχή* cibi potusque abstinentia, ut Philo L. de Decal. p. 766. loquitur: Quin imo eodem & ab omni unctioe, quod haec sit species bibitionis, alieni erant, si fides habenda magistris, haec in Schabbath IX: misn. 4. referentibus.

§. 4. His probe animadversis, varia ad hujus Historiae lucem observari possunt, atque omnis hujus itineris calculus cum moribus navigandi, clausique & aperti maris apud Græcos, Romanosque conciliari, cum aliorum contra sententiae iis consuetudinibus sint adversissimae. Principio enim (1) cum Cretae insula navigantes adhuc detinebat, & animus iis etiamnum erat in Italiam abhinc proficiscendi, ut ex v. 9-sqq. apparet, oportet, eo tempore mare *nondum* clausum fuisse. Atque hoc nostrae sententiae de die jejunii admodum conveniens est. Quandoquidem enim mensis *Tisri*, cujus *decimo* die jejunium magnum habebatur, cum Romanorum *Octobri* maximam partem conveniat: mare autem non ante *Novembris* exactam partem mediam claudebatur, adeo mensis, et quod excurrit, ad illud tempus erat residui; ratio hinc apparet, qui tum adhuc iter Italicum potuerint per mare in Italiam animo meditari. Dein vero (2) exinde scimus, qui eo tempore atque antea venti ipsis jam fuerint adeo adversi, atque *difficilis* ipsis contigerit *navigatio*

vs. 7. & 9. ita ut ex Pauli conjectura non potuerit eadem porro suscipi, nisi cum ingenti periculo & navis & mercium & hominum amittendorum, ita ut haec res in deliberationem ceciderit, consiliumque ceperint potius quam haec omnia periculo exponerent, in Phoenicia hybernari, vs. 9-12. Tum enim jam, cum mensis *October* laberetur, autumnale tempus erat, quo pelagus rabie saevit nautis summo peregrincommoda. Atque adeo, (3) quoniam de *hibernaculis* cogitabant, vs. 12. spatium temporis ab eo mense, usque ad diem, quo mare claudebatur, oportet, quo ejusmodi itineri longinquo ne utiquam sufficiens visum fuerit. Rectissime enim censemus vocem παραχειμάσαι à Pricaeo ad h. l. et Beza ad vs. 9. aliisque capi de *hiematione*, et πρὸς παραχειμασίαν reddi ad *hiemandum*, Daniel enim Heinsius verrens ad *tempestatem vitandam*, hujus significationis nullum potuit adducere exemplum; quoinde eum hoc nomine recte à Pricaeo notatum credimus. Sic enim glossae παραχειμάζω *hiberno*, παραχειμασία *hiematio*: atque aliae: *hiemo παραχειμάζω*. Ita ex de *hibernaculis* exercitus passim his vocibus utitur Polybius, & maxime L. III: [p. 168, p. 170 & 189. Tametsi enim de *terrestri* exercitus *hiematione* ea vox istic locorum occurrat, id tamen contrarium nostrae sententiae adstruentem nihil juvat, quod abhinc ad *nauticam* hiemationem ea locutio à D. Luca translata sit.

liter usus voce *hibernare* de *maris clausi* tempore Cicero L. II: ad Q. Fratrem Ep, 5. quae alias de *terrestri* hiematione occurrit. Optime itaque venerabilis Beza haec ad vs. 9. notavit. *Incidit autem, inquit, hoc festum (expiationis nimirum; Sentit enim nobiscum de tempore jejunii) in septimum mensem, (Tifri) qui quidem aliqua ex parte nostro Octobri respondet. Instabat igitur November, ut merito omnino censuerit Paulus potius eo loco hiemandum, quam hibernam navigationem instituendam.*

S. 5. Apparet ex his (4) qui Paulus cum sociis cogitans de hiematione in Phoenicia, tum temporis contrariis turbulentissimisque ventis in alia potius omnia contrariumque mare abreptus fit, variisque tempestatibus circumactus in mari mediterraneo, usque dum prope Melitem navem fregerit. vs. 12--fin. coll. cap. XXVIII: v. 1. Navigatio enim ista, ut ex prioribus certum, necesse est quod vel circa ultimos *Octobris* vel primos *Novembris* coepta fit dies. Eo autem tempore, quales in mari mediterraneo adversae navigantibus tempestates oriantur, optime ex Vegetio discemus L. V: cap. 9. aut L. IV: c. 39. ut in aliis edit. *Post ortum Pleiadum die VI. Kal. Juniarum usque ad Arcturi ortum, id est diem XVIII. Kal. Octobrium, ut secura navigatio creditur, quia aejtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: Ita post hoc tempus (quod ipsum est de quo locuti sumus) usque in III. Iduum Novembris INCERTA*

navigatio est & DISCRIMINI PROPIOR propterea quod post Idus Septembres oritur Arcturus vehementissimum sidus, VIII. Kal. vero Octobris aequinoctialis evenit acerba tempestas. Circa nonas vero Octobris boedi pluviales. Quinto Idus ejusdem Taurus. Pergit dein A NOVEMBRI autem mense CREBRIS TEMPESTATIBUS navigia conturbat Vergiliarum hiemalis occasus ----- Nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbrum, vel nivium geminata saevitia non solum CLASSES à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat. Haëtenus Vegetius, cujus verba, ut ut prolixiora, plene adscripsimus quod ad totius Cap. XXVII Actorum, nostraeque dissertationis lucem, plurimum conducant.

§. 6. Attamen, quo ea, de quibus antea disputavimus, reddantur illustriora quodammodo, non nihil de tempore maris clausi & aperti cum apud Graecos, tum Romanos fermocinandum esse, auguramur. Romani claudebant mare à III. Eid. Novembris usque ad VI. Eid. Martias, à quo die usque ad III. Eid. Novembres apertum erat, docentibus id pluribus Romanorum scriptoribus, ut plene Vegetius L. V. dere Mil. c. 9. & Plin. L. II. Hist. Nat. c. 37. confer Caesarem de B. G. L. IV: c. 36. & L. V: c. 23. Hinc dies VI. Eid. Martias erat natalis navigationis referente ibidem loci Vegetio, idemque maxima laetitia populi, quo sacrificia navigantium diis

diis praefidibus maētabant, certaminibus & solennibus spectaculis quoque celebrabatur. Late hos ritus refert Apulejus L. XI: Metam. pag. 259. sqq. illic videndos. Confer Turnebi Advers. L. XVIII: c. 24. & L. XXIV: c. 34. Sed haec, quod notiora sint, pluribus non tangimus.

§. 7. Apud *GRAECOS* vero mare post *BACCHANALIA* apertum fuisse discimus ex Theophrasti Characteribus Ethicis περι ἀδολεσχί. p. 11. ubi dicit narrare plerumque hominem garulum id quod nemo ignorabat, veluti exempli causa τὴν θάλασσαν ἐν Διονυσίων πλωόμενον εἶναι. mare statim post *DIONYSIA* apertum iri. Intelligenda autem hic sunt Dionysia, quae ultima erant & *majora*. Ea enim ab Atticis scriptoribus per excellentiam solo Διονυσίων nomine insigniuntur. Neque tamen ab omnibus hoc ita fit scriptoribus, ut ad h. l. notat Casaubonus, quia & Anthesteria Dionysia hoc solo nomine decoravit Plutarchus L. VIII: Symp. quaeft. c. 10. quem locum Ill. Spanhem. ad Aristoph. Ran. v. 310. notavit. Haec vero Dionysia *majora* in vernal tempus eumque mensem incidunt, qui Romanorum *Martio* aequalis ex parte, unde utrumque populum mare eodem mense aperuisse discimus. Celebrabantur enim ea die XVI mensis Elaphebolionis, ut ex Æschinis Orat. contra Ctesiphontem observavit Palmerius Exercit. ad opt. aut. Graec. p. 617. Alias ea Diony-

Dionysia majora dicebantur Διονύσια καὶ ἄστυ
& ἄστυκα, quod ἐν τῇ καίῳ πόλει seu inferiore
urbe Athenarum peragebantur. Ab his vero
bene distinguenda, partim Διονύσια λήναια
five καὶ ἀγρῆς, quae autumnali tempore vin-
demiarum in agris mense Posideone: partim
λιμναῖα five Ἀνθεστήρια, quae XVI. die men-
sis Anthesterionis non procul à Limnaei Bac-
chi templo ἐν τῇ αἰνω πόλει, ut antiquissima, ex-
hibebantur. Vide omnino de his singulis
accuratissime differentem & varios eruditos
viros, qui haec festa Dionysiorum perpe-
ram confuderunt, notantem, Illustriss. Span-
hemium ad Aristoph. Ranarum ὑπόθεσιν p.
297 & p. 271. item ad Ranas vs. 310.

§. 8. Utrique vero populi cum Graeci tum
Romani rudiori calculo rem computantes,
mare clausum ab occasu Pleiadum five Vergi-
liarum: apertum vero ab earum ortu, defi-
niebant, vid. Serv. ad Virgil. I: Georg, v. 38.
& notas doctorum ad Curtii L, V. c. 6. Hie-
mem enim veteres ab occasu Vergiliarum or-
diebantur v. cl. Gronovium ad Artiani, L. V.
cap. 21. p. 260. Juxta pleiadas etiam cum
noctu cursum navis dirigebant, iis occidenti-
bus, incommoda nautis videbatur navigatio.
Ita ille apud Lucianum in Toxari T. II: p. 45.
Ed. Amst. ait se navigasse ἐξ Ἰταλίας Ἀθῆνας
περὶ ΔΥΣΙΝ πλειάδος ex Italia Athenas circa
Pleidum occasum, non vero postquam jam
occiderant. Hinc Propertius L. I. Eleg. 8. ad
Cyn-

Cynthiam, cum vellet in Illyricam proficisci,
eo invito, loquitur.

*Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O! utinam hibernae duplicentur tempora
Brumae,
Et sit INER S tardis navita VERGILIIS,
Ne tibi Tyrrhena solvatur funis arena, &c.*

Atque ut haec in mari *mediterraneo* se
habent, ita cum contrarium accidere in ma-
ri *Judico* acceperat Arrianus, eam rem ut
miram refert loco indicato, ἀπὸ τῆς χειμῶνος
τῆς ἀρχῆς (aut ut Gronovius legit τὴν ἀρχὴν,) τὸ ἀπὸ Πλειάδων δύσεως, ἐς τε ἐπιβροπας, ἃς ἐν
χειμῶνι ὁ ἥλιος ἐπιστρέφει, πλοῖμα εἶναι ταύτη
ἐξηγγέλλετο. *Ab initio hiemis, quod est ab oc-
casu Pleiadum, ad solstitium hibernum usque na-
vigabilem iis in locis (Indicis) Oceanum esse,
narrabant.* Atque haec haec tenus.

§. 9. Quo itaque ad ea revertamur, unde
digressi sumus, notari (5) poterit ex nostro
computandi ordine rationem apparere, qua-
propter naufragi, qui Melitem pervenere sal-
vi, in eadem insula per *tres* circiter *menses*
sunt commorati cap. XXVIII: ii. cum multo ci-
tius eos repetere iter potuisse alioquin videat-
tur. Cum enim *Octobri* mense adhuc in Cre-
ta moras necitebant: (v. §. 3. & 4.) apparet
fatis ex historia, Actor. Cap. XXVII. abhinc
unum

unum mensem cum alterius dimidio circiter exactum esse, antequam *Meliten* pervenere naufragi. Quo circa putamus non sine causa eos mensis fortean *Decembris* initio ad eam insulam appulisse. A *Decembri* vero si tres menses computes porro, quos in Insula hac exegerunt: comperies eos ibidem loci tempus illud accurate praestolatos esse, quo primum *Mare* aperiebatur, quod VI. Eiduum Martias fieri §. 6. notavimus. Eapropter mare *clausum* & *hibernans* tam longinquae *trium mensum* commorationis fuisse unicam causam, probabilem in modum ratiocinor. Attamen & hoc fatendum est, utrum Paulus cum sociis *integros tres menses* illic moratus sit, an vero *tertio*, binis exactis, ab hinc discesserit, ex phrasi *μετὰ τρεῖς μῆνας* Actor: XXVIII: 11. non liquido satis concludi posse. Novi quidem ab omnibus haec reddi verba interpretibus *post tres menses*, ut de tertio jam lapso & *quarto* ordiente eos Italiam petuisse concluderes. Verum neminem fugit principio, innumeris in locis à Chronologis animadvertum esse, SS. Scripturam ita indicare *annos, menses, dies* ut *praeterlapsos*, qui tamen de *inchoatis* primum intelligendi; Dein & praepositio *μετὰ* *accusativo* juncta, quae indicat certum tempus, saepissime non de illo tempore *praeterlapso*, sed *labente* accipienda est: Sic cum Christus Sospitator noster *tertio* die victa morte in hanc vitam redierit,
idque

idque factum sit ejus tertii primo exordio:
 tamen Marci VIII: 31. id dieitur contigisse
 μετὰ τρεῖς ἡμέρας, quae eapropter *tertio die* red-
 denda & de illo die inclusive capienda, ut vel
 ex parallelis locis notum, ubi τῆ τρίτῃ ἡμέρᾳ oc-
 currit. Matth. XX: 19. XVI: 21. XVII: 23.
 Marc. IX. 31. Lucae: IX: 22. Vide quae ad
 priorem locum Marci erudite notavit de hac
 phrasi doctissimus Beza. Pariter & Deuter.
 XIV: 28. ubi de decimatione agitur, μετὰ
 τρία ἔτη ἐξοίσεις occurrit, quod quo minus *post*
tres annos reddere possis, sed *tertio anno* debeas,
 loco plane parallelo Cap. XXVI: 12. ubi ἐν τῷ
 ἔτει τῷ τρίτῳ, prohiberis. At, & Lucae no-
 stro ea phrasis familiaris est, uti Actor: XXIV:
 1. μετὰ πέντε ἡμέρας est *die quinto*, & μετὰ τρεῖς
 ἡμέρας *die tertio* XXVIII: 17. Ne-
 que etiam eundem loquendi modum aliis
 scriptoribus Græcis eodem sensu inusitatum
 esse, facile comprobari posset: nisi id alio lo-
 co, quo eadem controversia occurreret, tem-
 pestivius fieri posse, auguraremur. Interea
 tamen loci, quicquid harum significationum
 tibi arrideat, neutra earundem ob exiguam
 temporis discrepantiam, obesse nostrae senten-
 tia poteris, quo minus tantum temporis spa-
 tium quantum ponere adlubescit, propter
mare clausum expectationemque temporis,
 quo illud aperiebatur, Maltae se Paulus cum
 sociis continuerint.


§. 10. Restat igitur ut denuo (6) totius
 Pau.

Paulini itineris tempus colligamus. Quandoquidem certum est eum mense *Octobri* in Cretae insula fuisse §. 3 & 4. antea vero plurimum morae exactum est, usque dum ex Palaestina difficili navigatione praeterlegendo Phoeniciam, Syriam, Cyprum, Ciliciam, Pamphiliam, & Lyciam (v. Cap. XXVII: v, 2--7. ubi dicitur contigisse *ἰκαναῖς ἡμέρας plurimis diebus*) nihil praeter rem commitemus, si *duos* circiter menses antequam Cretam pervenerint, iter hoc eos detinuisse, censeamus. Medio igitur *Sextilis* discedens Paulus, *Octobri* Cretam pervenit: ibi vero cum pariter *ἰκανῆς χρόνος plurimo tempore*, cum ipso focii moras traxerint, ut ex *vs. 9.* manifestum est, videntur non ante finem ejus mensis, aut principium *Novembris* abhinc anchoras solvisse. Ex inde eos plurimis in mediterraneo mari tempestatibus naufragioque circumactos esse cum ex *Cap. XXVIII.* discamus: hinc commode mensem unum alterumque elapsum esse nobis probabile, usquedum *Maltam* sospites nacti sunt; Ad eam igitur mense *Decembri* appulerunt. Cum commorati in ea insula *tribus mensibus*, essent ob mare clausum §. 9. medio *Martii* illinc rursus discesserunt. Iter autem *Maltā* Romam, quod suscipere ejus mensis ultimis diebus aut subsequenti *Aprilis* initio finem nactum esse videtur ex *Cap. XXVIII. vs. 13--15.* Neque enim id

C

lon-

longioris morae erat. Exinde vero conclu-
dimus, cum *Martius* annum *Romanorum* or-
diatur, *Paulus* vero in *Italiam* iter meditando,
Augusto circiter *Hierosolymas* reliquit, saltem
Octobri in *Creta* fuit, *Martio* autem adhuc in in-
sula *Malta* commorabatur, & *Aprili* demum
Romam vidit, quod hic *duplices* & *diversi*
anni discernendi *Romanâ* computatione,
quorum *altero* è *Palaeftina* profectus est, *al-*
tero vero & subsequente *Italiam* demum sa-
lutavit. Atque haec quidem hac differ-
tatione a nobis comprobanda erant.



III.

THEODORI HASAEI,
SS. Literarum Doctoris in ecclesia
BREMENSI,

De

INSCRIPTIONE PSALMI
VICESIMI SECUNDI,
DISPUTATIO,

In qua

Illud אֵילַת הַשָּׁחַר esse

INSTRUMENTUM MUSICUM,
Probatur.

ARGUMENTUM.

Titulus hujus Psalmi diversimode explicatur.
Auctores, qui de illo scripserunt §. 1, Non
placet illorum sententia, qui de *Cerya auroae* ex-
plicant §. 2. Rationes illius opinionis adducuntur.

Pri-

Prima, quod Christus nunquam ita dicatur. Quo sensu comparetur *furi* §. 3. Quatuor aliae adferuntur: §. 4. **רַחֲשֵׁי תִלְיָא** instrumentum musicum denotare (A) POSSE probatur (a) ex ipsa verborum *emphasis* & quidem (α) vocis **תִלְיָא**, quae ipso sono indicat, quid significet, §. 5, 6. Et voces cum illa cognatae *lessum* indicant §. 7. Eiusque rei vestigia exstant in linguis aliis, Hinc *ululare*, *ejulare*, *heuten / jlllen / ελελίζειν*, &c. *ιαλημυς*, *Aeolus*, *ελεός* &c. §. 8. *ἄυλος*, **לִילִי, לִילִי, חוֹל**, *hol / Höle / Loch / Tibiae perforatae*, & inde nomen suum nactae. *ελυμος*, §. 9. Vel ita dici potuit a materia illius organi. Tibiae enim ex ossibus hinnulorum ac, *cervorum* compositae §. 11. Tibiis datum nomen materiae, ex qua paratae; **דִּירָא**, quasi *aeneum*. **Εἰς**. *Νεβρεία*. Quomodo nomen *cervae* impōsitum instrumento Musico §. 11. Musicae usus in funeribus. German. *Flöte*. §. 12. Quale fuerit instrumentum ostenditur ex Judaeorum scriptis §. 13. Vocis (β) **רַחֲשֵׁי** significatio non tam ab *aurora* arcescenda est, quam a *nigredine*. §. 14. **רַחֲשֵׁי**. *Sicera*. Loca Ps. CX: 5. Es. XIV: 12. VIII: 20, Ps. CXXXIX: 9. §. 15. Joelis II: 2. §. 16. Hof. X. 15. Amos, IV: 13, illustrantur. §. 17. Cognatio linguae Germanicae cū Hebraea; **Εχwarz** / §. 18. Coloris nigri usus in luctu §. 19. Porro (b) ex Psalms scopo atque argumento §. 20, 21. Neque solum posse, sed et (B) DEBERE tale organum Musices intelligi evincitur ex illa regula; *Quod ubi talis, qualis hic est, verborum constructio occurrit, SEMPER instrumentum musicum innuatur*. Hic canon illustratur (a) ex ratione Musices in templo Hierosolymitano §. 22, 23. Probatur (b) ex inductione omnium Psalmorum §. 24. Inscriptio Ps. XLV. **דִּירָא**. *Cymbala*. Habuere figuram *liliorum*, quae vocamus, *convallium*. Marc aeneum §. 25. Titulus Psalmi LVI §. 26. Ratio veterum instrum. Musicorum nobis ignota est §. 27. Quid

Zonathalem rechokim. §. 28. Confirmantur (C)haec denique tam Judaeorum, quam Christianorum suffragiis §. 29.

§. I.

Mirum sane, atque difficile dictu est, quot, quamque diversis interpretationibus, versionibusque titulus, quem auro gemmisque pretiosior Psalmus, qui in divinorum hymnorum libro, *secundum supra vicesimum locum occupat*, prae se fert, excussus subactusque fuerit. *Dixerim fere*, (verbis utor Viri celeberrimi, qui *Titulos Psalmorum* singulari atque erudito volumine illustravit) *quot in mundo dissona dantur horologia, tot sententiarum divertia reperiri, quidnam sibi velit, tam insignis Psalmi epigraphae.* Illas cognoscendi avidum ablegamus ad Chr. *Sontagii* citati libri diatr. XIX: p. 272. seqq. *J. Drusii* observ. L. X. c. 3. *J. Henr. Ursini* passion. p. 254. sqq. *S. Rocharti* Hieroz. p. I. LIII. c. 17. *S. Glassii* Rhet. S. tr. I, c. 8. p. 166. & in *ὄνομαστ.* | *Christi* II: 14. *Dieterici* Antiq. Bibl. p. 440 sqq. praeter innumeros alios, qui divinum hunc librum suis illustrare commentariis voluere, inter quos in primis *S. Amama* & *G. Rivetus* consuli merentur. Id tantum notare liceat, non deesse Viros eruditione praestantes, quibus illa inscriptio tam visa fuit obscura esse, ut ejus sensum se una cum ignarissimis scire confessi sint,

ex

ex quibus nunc tantum Jac. Guffetium, & Th. Gatakerum nominare liceat.

§. 2. Fateor tamen nullam opinionem omnium, mihi minus arrisisse, inde ab illo tempore, quo res suo aestimare pretio incepi, illa, quae omnium trita est maxime, quamque ex veteribus Aquila, (qui vertit *ὅπερ τῆς ἐλαφὸς τῆς ὀρθρινῆς*,) Hieronymus, Basilius, ex recentioribus Lutherus, Flaccius, Vatablus, Tigurini, Pagninus, Bugenhagius, Musculus, Fabricius, Schindlerus, Glasius, Franzius, J. C. Dietericus, Bochartus, Gerhardus, Piscator, Hopfnerus, Ainsworth, Bottaccus, Schindlerus, Geierus, Jac. Altingius, Joh. Marckius, atque alii magno numero secuti sunt. Videlicet cum vox *לילה* notet cervam passim, putarunt hoc quoque sensu heic loci accipiendam esse. Mirum autem est, quantum se torserint in applicanda hac voce *שחר*, quae cum auroram notet, putarunt cervam judicari tempore *matutino* agitatum, atque ita hac phrasi Messiam indicari, ab inimicis suis, sub aurora illius diei, quo ferali crucis ligno adfigendus erat, hinc inde agitatum. Sed quod pace Virorum eximiorum dictum velim, tametsi sano sensu, quem deinde §. 10. & 11. aperiemus, significatio *cervae* retineri potest, non tamen desunt rationes quae, quod pedibus in eorum descendere sententiam, qui hic de *cerva aurorae*, tanquam

objecto atque argumento totius Psalmi agi putant, nequeam, faciunt.

§. 3. Eum in finem (a) observari velim nunquam in sacris Christum venire sub nomine *cervae*. Scio huc adduci loca Cant. II: 9 & 17. & VIII: 14. Sed, ne nunc dicam nusquam occurrere vocem אֵילָה, sed vel צִבִי, quae notat *binnulum* aut *capreolum*, vel עֵפֶר אֵילִים, i. e. hinnulum cervorum, nequidem his nominibus insignitur, sed tantum cum animalibus id genus comparatur. Ita Cant. II: 9. דומה דומה *similis est dilectus meus capreolo*, & vs. 17. & deinceps Cap. VIII: 14. דומה לך לצבי, *adsimilare binnulo*, legitur. In quibus vides non ad alias huius bestiae proprietates respici, quam insignem ejus celeritatem, quae tanta est, ut secundum Xenophontem in Cynegetico ταχος ἴδεναι εἶκος των τηλικυτων νεβρων, *velocitas nulla similis sit istorum binnulorum*, unde & illapassim, cum apud sacros, tum profanos scriptores in proverbium abierit, ut ex Bocharto L. III. c. 17. & 25. constat. Quemadmodum itaque, quando v. gr. 1. Thess. V: 2. coll. Matth. XXIV: 43, 44. Luc. XII: 39. 2. Petr. III: 10 & Apoc. III: 3. adventus Christi adsimilatur adventui *furis* nocturni, male inde colligeres Christum *furem* dici nocturnum, cum tantum ea phrasi indicetur Christum olim subito ac praeter omnium expectationem appariturum, ita quando
Chri-

Christus adsimilatur capreae vel hinnulo,
cave putes, illum his nominibus appellari,
quamvis ecclesia calidis votis exoptet, ut,
olim ecclesiam suam liberatum venturus,
Flammae praevortat celeris vestigia cervae, ut
phrasi utar Achillis apud Catullum, hym-
no LXV.

§. 4. Dispiciendum porro relinquo aliis,
num (b) cerva, aut hinnulus, trepidum at-
que imbelle, neque robore, aut alia re, quam
pedum agilitate commendandum animal, a-
ptum queat esse Symbolum fortissimi illius
herois, ac Leonis e tribu Juda, qui vel tum
potissimum, quando ea Psalmi verba sua
faciebat, se talem orbi praebuit, neque in-
festa infernalium copiarum agmina, neque
canum undique cingentium latratus vs. 17.
neque taurorum Basanis impetus vs. 13. ne-
que hiantes rugientium leonum rictus vs.
14. reformidans. Et quid dicam (c) de cer-
va *matutina* sive *aurorae*? Cur ita potius di-
catur, quam vel *meridiei* vel *vespertina*, vix
causam video. Ut enim nunc alias, quas
adducant interpretes, rationes praeteream,
quod praecipuam illam ac vulgarem adtinet,
quam cum aliis etiam B. Lutherus secutus
est, quasi illa denominatio petenda sit à tem-
pore, quo, instar cervae agitatus fuit Sospi-
tator noster, non video, cur illud ad matu-
tinam potius, quam aliam diei partem re-
ferendum sit, cum per integrum paene *вухлн-*

μειν spatium hostium suorum infectationibus fuerit expositus, neque tempore matutino, sed medio die lugubre hoc carmen ingeminaverit. Ne nunc (e) moneam phrasin hanc אֵילַת שָׁחַר, quae denotare debeat *cervam mane agitatam* prorsus insolitam, a genio linguae Ebraeae alienam, neque ullo exemplo simili, quod sciam, illustratam esse. Quibus accedunt (f) rationes reliquae, quae illud אֵילַת הַשָּׁחַר de instrumento musico, cuius in luctu atque ejulatu moderando usus erat, & cui hujus hymni praecentor praefectus erat, omnino intelligendum esse, docent, ad quod probandum uberius, nos nunc accingimus.

§. 5. Hoc autem ut fiat non sine aliquo ordine, *primo* operam dabimus, ut eas voces hoc interpretamentum POSSE pati, tum ex earum emphasi, atque vera significatione, tum ex Judaeorum testimoniis, ex totius denique Psalmi argumento ac scopo ostendamus. *Deinceps* autem haut aliud posse pati, quin ita indubie explicari DEBERE, evincemus; Hanc *denique* explicationem a doctorum Interpretum tam Judaeorum, quam Christianorum opinionibus non prorsus abhorre, indicabimus. Atque his limitibus praesens circumscribetur disputatio.

§. 6. Quod itaque (A) ad priorem vocem אֵילַת adtinet, est ex ea eorum genere verborum, quae Graeci vocant *πεποιημένα*, quae ipsa

psa pronunciatione, quid significant, indicant, ita ut vel linguae ignarus, quid sibi velint, cum audit, facile intelligat, qualia v. gr. apud Latinos sunt, *babare, balare, boare, bombus, fremere, frendere, fritillare, gingrire, hinnire, glocitare, lallare, mugire, murmurare, ronchare, raucus, stridere, silere, sibilare, tinnire, tintinnabulum, turtur, ululare, ulula, & innumera alia.* Sicut apud Germanos nostros *blockē, bölfen, brüllen, mauen, geunghen, glöcken, flingen, pfeiffen, zischen* / &c. Sicut ranarum strepitum eleganter expressit Aristophanes, per illud *Βενεκεκεξ, κοαξ, κοαξ*, & sonitum tubarum Ennius, *At tuba terribili sonitu taratantara dixit,* & currentium equorum strepitum Virgilius, *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.* Ita ab Ebraeorum *ההה*, vel *הה*, vel *הוי*, vel *הוהו* (Amos V: 16.) vel *הה*, vel *ההה*; sicut aliarum nationum; *Oh! He! heu! ah, vel ach! eheu, ach, ai, ai, hoi,* moerentium, gementiumque suspiria indicant, quibus cum additur literal. eos gemitus in voces ac sonos lugubres erupisse significatur.

§. 7. Id vero non in unius gentis, sed variarum sermonibus, locum habet. Apud Hebraeos *ללה* notionem planctus, ac lamenti habet Joel: 1: 8. Recte LXX, verterunt *γεννησον*. Syri eadem significatione utuntur *ללה*. Ut & targumistae Judicum. XI: 40: 2. Sam. I: 17. Apud eosdem *ללה* lamentatricem, prae-

ficam ad plangendum mortuos conductam, ut apud Syros אלין, indicat, sicut אליה, qua frequenter utuntur, ejulationem, planguntumque, significat. Huc pertinet אליותא, quam adhibent Job. III: 8. Hinc אללללל vox singultientium & ejulantium Job. X: 15. Mich. VII: 1. Apud Talmudicos אליית lamentatricem feminam indicat, unde רביעית של אליית *sistrum lamentantis feminae* in tractatu Kelim cap. 17. dici in lexico adnotavit Buxtorffius. Sicut & in eodem Codice כלים c. 45. §. 6. dicitur *Tympanum mundum polui Sessione*, יושבת עליו מפני שהאלית, ad quae verba ita scribit Maimonides; *Cum hocce instrumento, quod vocant טנבורין* (nota nostrum Tambour) *apud mortuos Lamentatione agitans, et hic est sensus illius, quod dicit, מפני שהאלית יושבת עליו* quia Elith in ipso confidet, per אליית intelligas הכפרנית, lamentatrix. Sicut dicitur Joel. I: 8. Cognatae his voces sunt ילל in Hiphil יללההילל vel יללא, quas pariter ululantium, atque ejulantium sonos exprimere constat.

§. 8. Matrem suam heic sequuntur filiae, hoc est, eadem harum literarum ac vocum significatio est in linguis aliis, quae est in Ebraica. Quis enim id non agnoscit in Graecorum ἐλεειν, ἀλαλαζειν, (quae quidem vox apud scriptores profanos laetam vociferationem indicat, apud LXX. tamen pro tristi sumitur lamento, & per hanc reddunt

7^o Ebraeorum ללה Jer. XXV: 26, 44, XLVII: 3. quamquam etiam pro lessu, sumitur apud Marcum v: 38. & in Glossario ἀλαλάζειν explicatur ejulare) ὀλολυζειν, ὀλολυγη, ὕλαν (quasi ἐλαλειν,) unde ὕλαξ, ὕλακτειν? Quis non observat in Latinorum ejulare, ululare, in Germanorum heulen/ heuleten/ jillen/ in Belgarum huilen, in Anglorum yell, unde yelling, atque his similibus, eadem vocum illarum Hebraicarum, praecipue των להל & ללה vestigia? Hinc fortassis etiam descendit vox ἰαλεμος, vel, ut alii scribunt, ἰηλεμος, quam vocem Suidas ὠδην explicat θρηνητικην, & quae hinc derivantur ἰηλεμιζειν, quod Hefychius per θρηνειν explicat, & ἰηλεμισρια, i. e. Mercede quae conductae flenti alieno in funere praeficae, Multo & capillos scindunt, & clamant magis, ut verbis utar Lucilii. Anne hinc quoque appellatio Aeoli, qua ventorum Deus appellatur, quod ita eorum mugitus atque ululatus, flamina cum deprensa fremunt sylvis, & coeca volutant Murmura, eleganter exprimantur, descenderit, meretur anquiri. Huc tamen putem referendam vocem ἐλεον, qua ululam designat Aristoteles, quarum haec non minus, ac illa, illius avis clamorem ipso sono refert.

§. 9. Immo, parum abest, quin ad eandem hanc originem quoque adducendam, esse existumem Graecorum αὐλον, qua ὄργανον θρηνητικόν, eibiam significant, ac reliquas
voces

voces, quae hinc derivandae apud Julium Pollucem adducuntur L. IV: c. 9. αὐλεῖν, ὑπαυλεῖν, καὶ αὐλειοῦθαι, παρὰ αὐλεῖν, αὐλημα, ἐναυλον, ἐξουλημένον, πλαγιάουλος, μονάουλος. Vides enim illas repraesentare sonum, quem edit, quae *cantat moestis Tibia funeribus*, vel, ut cum Statio loquar,

Quem signum luctus cornugrave mugit adunco.
 Tibia, cui teneros suetum producere manes. Nisi fortasse an id vocis petendum ab Ebraeis alio modo velis, sc. a חלל, quae notionem habet *cavitatis*, atque eadem prorsus est cum Germanico hol/ cavus, unde aushölen / excavare, & Höle/ caverna & inverfis literis Loch/ (sicut eodem modo מחלות cavernae dicuntur.) Denoimnationis illius ratio a cavitate, vel foraminibus tiliarum petenda est, quae eleganter Favonius Eulogius, in libello, de sonitu orbium coelestium vocavit *cavernas*, quemadmodum hinc apud eosdem quoque tibia nomen sortita est, dicta חליל, hoc est, instrumentum musicum foraminibus suis distinctum, (eodem modo quo נקבים *fistulae* dicuntur a נקב perforare) & חוללים ad tibiam tripudiantes, & חללות & חלה, quae pariter instrumentorum musicorum nomina sunt. Pf. V. LIII: & LXXXVIII. Certe *perforatarum* tiliarum etiam mentio fit apud Ἰσὺ ἔξω scriptores. Aristoxenum singularem librum scripsisse περι' Αὐλῶν ἰησεῖος de perforatione tiliarum legitur apud

apud Athenaeum L. XIV. τρήλαι δονακες i. e. *arundines perforatae*, & λωλοι πολυτρήλοι i. e. *tibiae multiformes* (utor voce, quae existat apud Apul. Flor. 1.) memorantur in Ανθολ. L. 1. c. 5: Ep. 1. & 5. citante Ill. Spanh, ad Call. p. 295. Qui & ibidem docet ex Athenaeo L. IV. *eburneas tibiae* πρῶτα φοινίκιν ἀναλεθρῆσαι *Phoenicibus perforatas*, unde non mirum apud eos a perforatione nomen suum nactos esse. Huc spectat illud Ovid. ex L. VI. *Fast. Primaterebrato per rara foramina buxo, Ut daret effeci tibia longa sonos*, ita loquente Minerva. Sed haec ὡς ἐν παροδῶ. In hunc quoque censum referendam esse vocem ἔλυμον quae apud Pollucem atque Athenaeum tibiā Phrygiam designat, vix dubito.

§. 10. Quod si tamen quisquam hanc vocem malit sensu interpretari maxime vulgari de *cerva* vel *Hinnulo* ego quidem, modo non obiectum hujus cantilenae, sed ad ὄργανον referatur, quo in ejus modulatione utebantur, non solum non refragabor, sed id fieri posse elegantī ac commodo sensu, ostendere conabor. Eum in finem revoce-
mus nobis ad animum, materiam, ex qua olim fiebant tibiae, cum fuisse res alias diversas, tum praecipue animalium vel ossa vel cornua: (Vide elegantem de *tibiis* tractatum C. Bartholini L. 1. c. 4. & confer Ill. Spanhemium loco proxime citato.) Nunc tantum observamus eam in rem imprimis ad-
hiberi

hibita esse *cervorum* atque *hinnulorum* ossa. Jul. Pollux, ubi ἰλην ἰων αὐλων recenset L. IV. c. 9. s. 71. non solum arundinis, & ferri, & loti, & buxi & cornu meminit, sed & diserte commemorat ὄσσην ΕΛΑΦΟΥ, quod male vertitur os *elephanti*, cum *cervi* vertendum sit. Apollonius Tyanensis, Canum insignem apud Rhodios tibicinem, interrogare legitur, an ideo tibiae cantus tam insigni polleat facultate διατε χρυσίῃ, καὶ ὀρειχαλκῇ, καὶ ἐλάφων Κνημῆς ξυγκεισθῆαι ἢ δε καὶ ὄνων, eo quod ex auro vel orichalco aut, CERVORUM aut asinorum cruribus compacta sit, apud Philostr. de V. Apoll. L. V. c. 21. Id quoque docet schol. Aristoph. ad Acharn. vs. ἐπειὸ παλαιὸν ἀποῖων ἐλάφειαν ὄσσην καλεσκευάζον ἰης αὐλῆς, olim e CERVINIS ossibus tibiae compingebant. Hinc eleganter Callim. in Hymno in Dianam vs. 244. ἔργον Ἀθηναίης, ὀπὺς Μινερῶε, ita autem vocat tibiam, dicit ἐλάφω κακὸν *cervi* perniciem. Idem ex Theveto de Canadensibus, populo Indiae, narrat Ulysses Aldrovandus de anim. bis. L. I. vs. 27. De Hinnulorum ossibus idem saepe traditur. Thebanos tibiae ex νεβρα κωλῶν, ex hinnulorum membris fabricasse commemorat Jul. Poll. L. IV. sect. 74. Idem Jubam de Thebanis narrasse scribit Athen. L. IV. & ex eo Eustath. ad II. Σ. p. 1157. Inde intelligi potest Battiaes in adducto modo hymno, ubi Amazonas dixerat usas fuisse fistulis, addit vs. 244.

Ὅυ γὰρ πω νηβρεία δι' ὄσεα τελεγονίω, *Non-
dum enim ossa hinnulorum perforaverant, tibia-
rum sc. in usum.* Apud Plut. in symp. p. m.
150. Aesopus ait *neglectis νεβρείος, hinnulo-
rum sc. ossibus. Tibiarum artifices usos esse lois
ὄνειοις, asininis, quod multo eas argutius sonare
dicant.* Hinc vocantur νεβρείοι αὐλοὶ in An-
thol. L. IV. c. 28. ep. 13. νεβρείων ὀποσον σαλ-
πιγξ ὄπτεριάζεν αὐλων. *Hinnuleas quantum tuba
supereminet tibias.* Hefychius in voce κακλός
scribit eam esse spinam, qua si hinnulus con-
fixus sit, ejus ossa utilia non sint ad faciendas ti-
bias. Immo, quod e tibiis illis cervorum,
hinnulorumve fabricabantur, hinc ad om-
nes haec appellatio videtur translata esse,
siquidem Isidoro fides L. II. Orig. c. 20.
*Tibias appellatas putant, quod primum de CER-
VINIS TIBIIS, CRURIBUSQVE HINNU-
LORUM fierent; deinde per abusionem ita coe-
ptas vocari etiam, quae non de cruribus ossibusque
essent.*

§. 11. Atque inde nunc facili negotio
conjicies, qua ratione organum Musicum
vocatam sit nomine, *cervi* seu אֵילַן. Vi-
delicet, non insolitum est scriptoribus in-
strumento alicui nomen dare illius materiae,
ex qua illud fabricatum est. Sic v. gr. vix
aliam vocis אֵירוֹס, *Eros*, qua Talmudici fre-
quenter utuntur, & vel tympanum vel tin-
tinnabulum significant, reperies, quam in
Latinorum *aes, aeris*, Germanorum *Erz* ex
quo

quo illud conficiebatur. Eodem modo ac Cymbala AERA dicebantur, (vide Lampii mei de Cymb. L. II. c. 4.) Sed ut nunc non alia rei exempla proferam, quam quae ipsam, quam tractamus, materiam spectant, tibiam aliquando *calami*, vel *arundinis*, vel *cicutae* vel *avenae*, aliquando *buxi*, aut etiam *loti* nomine venire, quod & ex *arundine*, vel *avena*, vel *buxo*, vel *loto* fuerit compacta, vel modice in veterum scriptis versatis non potest ignotum esse. (vide Barthol. de tibiis L. I. c. 4.) Eodem itaque modo אֵילֵת, i. e. *cer-vae* nomen dari potuit tibiae ex ossibus *cer-vinis* factae, phrasi ipsis scriptoribus profanis haud insolenti. Ita in citato Plutarchi loco absolute tibias ex ossibus hinnalorum paratas, vidimus dictas τα νεβρεα, & in epigrammate Antipatri mentionem fieri audiebamus των νεβρειων αυλων. Si itaque nolis nostrum אֵילֵת, a lugubri dictum esse sono, quem edebat, vides, quam facile à materia, ex qua constabat, potuerit nancisci denominationem.

§. 12. Quidquid hujus rei sit, hinc adfatim puto constare, אֵילֵת commode significare posse instrumentum aliquod musicum, cujus in deducendis funeribus usus erat, sive illud fuerit tibia, sive tuba, sive tympanum; Nihil enim certi hic atque indubitati statui ac determinari posse fateor. Sufficit apud Judaeos non minus, ac gentes alias illum morem viguisse, ut in exsequiis non

non cantu solum lugubri, sed & aliis uterentur tristitiae instrumentis, in quibus primum locum obtinebat *tibia*. Vestigia illius in ipsis sacris literis occurrunt Jer. XLVIII: Matth. IX: 23. Vide de illa *Barthol.* de tibiis L. II. c. 15. *Kirchm.* de fun. L. II. c. 4, 5, 6. *Aringh.* in Roma subt. T. I. L. 1. c. 18. §. 14. sqq. *Stuck.* Antiq. conviv. L. III. c. 20. *Geierum* de luctu Ebr. L. I. c. 5. §. 14. sqq. Hier. *Magium* Misc. L. I. c. 29. 13. *Ursini* Anal. L. I. c. 7. *Scult.* Obs. in Matth. c. 29. & in Exerc. L. II. c. 55. & sexcentos alios. Ea etiam aliquando incidit cogitatio, ane haec vox Ebraica אֵילֶת fit eadem cum Germanica voce *Sldte/ fluyte*. Sane eadem heic propemodum occurrunt literae, & solum in f mutato, eadem est significatio, cum hae quoque voces Germanis meis instrumentum denotent musicum, cujus in luctu & lēssibus usus est.

§. 13. Bonum interea factum est, ipsos Judaeorum magistros me mihi habere adfidentes, qui pariter אֵילֶת Instrumentum esse musicum, ejus denique esse originis, quam ego tradidi, docent. Egregius locus est, qui in Lexico Baal aruch in voce אֵילֶת occurrit; אֵילֶת רַ יְהוּדָה אָמַר הָאָרֶם טוֹמָא מוֹשֵׁב מִפְּנֵי שֶׁהָאֵילֶת יוֹשֶׁבֶת עֲלָיו בְּכָלִים אָמַר אָרוֹם בְּתַלְמוּד מֵאֵי אָרוֹם טַבְּלָא דְחַד פּוֹמָא אֲבִי אָמַר כּוֹבָא וּבִלְשׁוֹן הִישְׁמַאל דְּבַרְבָּא וְעוֹשֵׂין כְּלֵי חַרְשׁ. עָגוּל אָרוּךְ אָמַא וְהוּ חִלּוּל וּבִפְתַחוּ

האחר משימין יתרים של מעים ועל גכס
מכסין עור ומכים עליו וקולו ערב ועושין
אותה לחופה ולמת כמו החלילין ופירוש איילת
מלשן אליזבת והחנוריהו שקן והיא לקונן ופעמים
יושבת על אותו בלי ובפרק כל כלי עץ רביעית
איילת ופירושו כמו כן כלי חן שמוזמרת
בו האשה העושה בכי עם חברותה

Liceat ea latine exhibere, prouti à Viro
eruditissimo Stephano, Monachio conver-
sa sunt. *Ailet*, R. Juda dicit esse Tympanum pol-
lutum propter sessionem. Quia mulier in luctu
super illo quievit & sedit. In Codice Celim di-
citur, quod sit Eros seu tympanum. In Talmude,
unde Eros, quid est Eros, est Tabula, que habet
os unicum. Abiai dicit, quod sit quasi Can-
tharus & poculum, & Lingua Ismaelitica seu
Arabica, dicitur Dabdaba. Et faciunt instru-
mentum seu vas fabrile, rotundum, longum cubi-
to, & illud est perforatum, & in illius ore seu
apertura, ponunt nervos seu fides ex visceribus,
& super illis extendunt pellem, quam pullant, &
sonus illius est amarus, & jucundus, & illo
utuntur in festivitatibus sponsalibus juxta ac in
luctu mortuorum, sicut & Tibicinibus. Deriva-
tur vero vox איילת ab אלי à luctu, sicut dicitur
de virgine, que Sacco induta & ad planctum
composita sedit super istud instrumentum. Et in
Cap. כל כלי &c. & in Talmud. Codic. Sotha,
Quarta, luctus est instrumentum, quo mulieres
plangentes & in luctu cantant cum sociis suis.

vides

Vides ex illis esse instrumentum musicum, in luctu adhiberi solitum, accurate illud describi iuxta partes omnes, *ἄσπον* nominis a voce אָל, quae luctum indicat, deduci; Et explicari denique de *tympano*. Valde his adfinia habet auctor libri שלשי הנבורים fol. V. col. I. editionis Mantuanae cap. V. In quo plurima habet de instrumentis musicis, quae alibi frustra quaesiveris, quae tamen merentur ex Ebraeo verti, ut ab omnibus legi possent. Quamvis textus est obscurus, neque mendis typographicis caret, cum tamen ipse liber in paucissimorum manibus versetur, atque nostrum אֵילת prae aliis videatur omnium accuratissime describere, non pigebit, prouti ea in Latinum sermonem converti, heic subjungere, אֵילת (perperam heic הֵי emphaticum praefixum est) הַשְׁהוֹר; *Vocatur hoc instrumentum Musicum ex dialecto Rabbiorum nostrorum אֵילית, in tract. Talmudico כלים, in Cap. XV. quod incipit; כל כלי עץ, Mis. a 7. In Gemara autem Sotae vocant illud alio nomine אָרוֹם; (male ita scribitur, cum scribendum sit אָרוֹם) Et dicunt ibi; quid אָרוֹם? est tabula, unius oris. R. Abai dicit; esse כּוּכָא instar foveae, vel poculi. Et consciunt illud vas fictile, rotundum, longum unius cubiti. Et illud perforatum est. Et habet orificium unicum; super quo ponunt tabulam, & supra illa nervos vel viscera Animalium, quemadmodum faciunt in citharis & nabliis. Et super illud extendunt pellem, & pulsant super ea,*

Et ejus ministerio utuntur בחופה in Chuppa, i. e. sponsalibus (notat enim haec vox coelum, sive velamen, sub quo νεογαμος in nuptiis solebant inaugurari, de quo vide diff. int. Carp-zovii, quae in ejus differt. volamine decima est, 7 Et in funeribus, sicut in illis uti solent tibiis. Et explicatio אלת השחר petenda est ex verbis apud Joelem, 1: 8. אלו, Ejula, instar puellae, quae sacco induitur, quod explicant de praesica. Et ita est inter instrumenta lamentaricum, quibus utitur mulier lessum faciens cum sociis suis in angustia Et morte repentina, cujus tempus ignorabant venturum, sicut aurora, quam non sentit venire homo, usque dum videamus illam, Et ita interpretatio haec vocis שחר in hoc loco convenit, cum ejusdem vocis interpretatione apud Es. XLVII: 11. Et Hos. X: 15. (vide supra §. 16.) atque appellant ita, quae canunt super mortuos, sicut vocat auctor גיליאן (hanc vocem non intelligo, forte nomen libri est, aut vertendum est Gallice, ut innuat scriptorem Gallicum, vel Evangelii, ut indicet Evangelistam, in cujus latina versione sequens vox exstat) טיצינים, siticines, quam vocem latinam esse unusquisque animadvertit. Ex his inter alia discimus Talmudicos אלת Iscripsisse אליית, quam vocem in tractatu Cem occurrere jam antea §. 7. monuimus, sicut eandem quoque legimus in eodem Tr. c. XVI. §. 7. ubi רביעא של אליית Maimonides ita explicat; puta duo ligna, quorum unumquodque

longius est cubito, sunt ergo duo ligna in manu ludentis, qui uno percutit alterum secundum melodiam, figura illius nota est in plagis occidentalibus vocatur אלה. Plures praeterea alios ex Judaeorum gente nobis in eo adstipulari, ut generaliter ad instrumenta musica referendum sit, deinceps §. 29. ex Jarchio, Kimchio, Abenefra, & Abendana videbitur. Neque dubito, quin, qui operae pretium judicaverit haec inquirere solertiùs, eumque in finem scripta Magistrorum gentis Hebraeae pervolvere volet, plura sit reperturus, quibus haec illustrari queant egregie. Mihi id neque nunc vacat, neque, ut quod res est dicam, lubet.

§. 14. Quin potius ad sequentem vocem pergamus, אלה, quae cum אלה nexu indivulso conjungitur, & videamus, num illa cum hac quoque, quam dedimus interpretatione, conciliari queat. Plerique & tantum non omnes interpretes *auroram* sive tempus matutinum, licet alio & alio sensu, voluere interpretandum. Si ex illorum sententiis mihi aliqua eligenda esset, illam meam facerem, quae Francisci Junii est, qua existimat, ita dictum hunc hymnum, quod *Sacerdotibus & Levitis fuerit traditus, ut singulo quoque mane in ecclesia, quam primum aurora erumperet, caneretur. Sic voluit Deus ecclesiam veterem singulis diebus recolere fiduciam de expe-*

Etatione Christi, cujus perpeſſionum & regni vaticinium hoc Pſalmo continetur. Notum enim eſt, cum offerrentur, quod fiebat cottidie, ſacrificia matutina, ab illis, qui ſacris in templo operabantur, certos hymnos decantatos, in quorum numerum hic quoque Pſalmus referendus eſt. Atque huc reſpexere quoque Chaldaeus pariter ac Alexandrinus interpretes, quos nuper Salomon van Til, doctiſſimus Pſalmorum interpres, ſecutus eſt. Si itaque notionem *Cervae*, quod commodè fieri poſſe §. 10 & ii. evicimus, velis retinere, per *Cervam aurorae* tale indicaretur instrumentum, quod e *cervinis* paratum offibus, ſub ipſo lucis ortu *primo mane* ſolebat adhiberi, quod fuiſſe *vibram* valde fit verofiſimile.

§. 15. Putem tamen heic quoque minus propriam $\tau\epsilon$ $\gamma\eta\psi$ ſignificationem, qua *auroram* ſignificat, non praefarendam alteri, qua *nigredinem*, atque *atrorem* indicat: Abunde enim a me demonſtratum puto, propriam non ſolum ac genuinam, ſed & frequentiorē hanc eſſe ejus vocis notionem in Diſſertatione ſingulari, quae *Hiſtoriae Criticae Rep. literariae*, quae curante eximia eruditionis Viro Samuele *Maſſove* Amſteldami prodit, inſerta eſt, & in ejus tomo XIII. ſecundum locum occupat. Oſtendi id non ſolum ex creberrimo ejus tali uſu in ſacris literis aequè, ac ſcriptis Judaeorum; neque

neque duntaxat observavi illud patere ex voce שחור, quae Nilum ita dictum a nigredine indicat, ut & שכר sive *sicera*, quae potum sive vinum *nigricans*, i. e. *ανεσλον*, qualia in Palaestina erant, proprie significat. Unde & Onkelos, quod postea observavi, plerumque vertit חמר. Verum etiam ad hanc significationem alia loca, in quibus לו שחור de *Aurora* ab interpretibus explicatum fuerat, traduci debere probavi, v. gr. in Ps. CX: 3. illud מרחם משחור non ex *utero aurorae*, ut vulgo fit, sed e *medio noctis*, sive *tenebrarum* vertendum est. Et apud Es. XIV. 12. בן שחר non est *filius aurorae*, sive *stella matutina*, sed *Filius tenebrarum*. In primis autem apud eundem divinum Vatem Cap. VIII: vs. 20. לו שחור non *auroram*, sed *caliginem & tenebras* notat, totumque comma ita est vertendum; *Ad legem & testimonium! Annon enim loquentur juxta hoc verbum, in quo nulla est OBSCURITAS? vel, quod si non loquentur juxta hoc verbum, אשר אין לו שחר, cui non obscuritas, tum sc. eas poenas expectandas habebunt, quae commate sequenti proponuntur. Ita autem & sensum plane planeque fluere, & apte omnia praecedentibus aequae ac sequentibus cohaerere, unusquisque videt, & liquidissime a me ostensum esse arbitror. Pariter Psalmo CXXXIX: 9. כנפי שחר non *alas esse aurorae*, ut hactenus creditum est, sed *noctis sive tenebrarum*, in aperta luce collocavi in singulari diatribe, quae*

quae pariter in ejusdem Hist. Crit. Tomo XII: p. 225 sqq. legitur.

§. 16. Ut autem dies posterior prioris magistra est, ita deinceps animadverti in hunc quoque censum referri posse locum Joelis II: 2. in quo cum praenuntiatum fuerat venturum diem tenebrarum & caliginis, diem nūbis & obscuritatis statim additur פרוש על ההרים sicut חוש quae panditur supra montes. Non inepta quidem est illorum Interpretum sententia, qui hac phrasi indicari arbitrantur diem illum judicii tam repente appariturum, tam longe lateque se diffusurum, quemadmodum lux solet, quando, ut poeta ait.

Ἦως μὲν προκοπῆ πλος ἐκιδναῖο πασαι ἐπ' αἶαν.

Sed, cum cogito, heic comminationem fieri gravis alicujus ac tremendi judicii, lucis autem atque aurorae ortus rerum laetarum soleat esse symbolum, quod vel ex Ef. LVIII: 8. patet, non video, tam commode notionem aurorae heic locum habere posse, quam quidem tenebrarum. Idque eo magis, quo clarius ac significantius jam quater illarum fuerat facta mentio. Certe in hoc loco hanc vocem ita quoque intelligendam esse, suspicatus est doctissimus scripturae interpres Arias Montanus, secutus Abarbanelem, qui pluribus de duplici significatione חוש de tenebris & aurora disputat, illiusque rei rationem esse scribit, quod

tene-

tenebrarum nigredo nondum abiit, nec aurora luce exoriente supra terram est dispersa. In eadem quoque sententia fuit vetus grammaticus, Abu-Walid, *αὐξάνδορος*, cujus verba exhibet Eduardus Pokokius in insigni ad hunc Vatem commentario, qui & ibi R. Tanchumi verba citat, quibus a quibusdam in hoc loco שחר per *tenebras* explicari scribit. Parum quoque abest, quin in hanc classem collocem locum Hosi X: 15. ubi comminatur Deus, *Regem Israelis succidendo succisum iri בשחר*. Omnes interpretes vario quidem, sed valde contorto sensu, de *aurora* in hoc loco cogitarunt. Sed quam facile omnia fluunt, si heic nobis ad animum revocemus *tenebras*, sensu non facris solum, sed et *σοῖς ἐξω* scriptoribus perquam familiari, *calamitatum* aequae ac *mortis* esse Symbolum, atque ita illud בשחר; vertamus, in *tenebris*. Ita ut sensus sit, Israelis regem inter varias calamitates miserabili mortis genere extinctum iri, sive, ut Poetae verba mutuer,

Iturum per iter TENEBRICOSVM

Illuc, unde negant redire quemquam.

§. 17. Cogitavi etiam aliquando, annon huc quoque referri debeat locus apud Amos. IV: 13. ubi inter alia DEUS describitur, עישה שחר עיפה. Vulgo quidem haec ita explicantur; *Qui facit ex aurora caliginem.* Sed cum in hoc commate Deus ob praestantiam mirandorum operum naturae, quae facit,

praedicetur, secundum autem naturae ordinarium cursum non auroram sequantur tenebrae, sed plena diei lux, non video, quomodo illud retineri possit interpretamentum. Possset itaque verti, ut subintelligatur copula *h*, qui facit auroram & tenebras, vel, qui facit caliginem & tenebras. Immo, cum *הַיָּוֵה*, quae vox est ἀπᾶξ λεγομένη, descendat à *יוֹ*, quod verbum non solum notionem habet obscuritatis, sed & splendoris, atque fulgoris, non video, quid obstet, si veritas, qui facit Tenebras splendorem, i. e. lucem, hoc est, qui diem facit exoriri,

Postquam prima novo conspersit lumine terras

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Sed de hoc loco, cui non deest *שֹׁהַר*, dispi-
ciant alii.

§. 18. Unicum hoc nunc addo, quod in mea me sententia de vero vocis hujus usu non parum confirmat. Deprehendi enim linguae nostrae vernaculae, qua Germani utimur, multum intercedere adfinitatis cum omnium matre, Ebraica, atque hanc ex illa plurimum mutuari lucis posse. Et dignam sane rem iudico, in qua quis ingenii sui nervos intenderet, ut, quemadmodum ab aliis factum est circa linguas orientis, non parum opis Ebraeae, cui omnes originem suam debent, adferentes, ostendat, quantum nostra quoque eidem foenerari possit subsidii. Ego, ut antea §. 8. id observavi circa vocem *אֵלֶת*
& §.

& §. 9. circa vocem שחור ita idem usu venire in hac voce שחור video. Apud nos enim, & Belgas, *niger* dicitur *schwarz* / vel *schwart* / quibus si terminationem, t vel s / linguis nostris propriam demas, Ebraicum omnino שחור retinetur. Qua quidem observatione non parum stabiliri vides, quod probavi, maxime propriam vocis ejus significationem à nigredine esse arcessendam.

§. 19. Atque ea quidem in hujus quoque hymni epigraphæ retinenda videtur omnino. Notum enim est eundem morem, qui viget etiamnum, quo in luctu ater adhibetur color, quem ab Ægyptiis ortum atque in reliquas gentes derivatum scribit Servius ad L. XI. Aeneidos, esse longe antiquissimum; (Vide, si tanti tibi est, *Savar.* ad Sid. Apoll Ep. 7. L. V. *Kirchm.* de Fun. d. II: c. 17 *Geierum* de luctu Ebr. c. 22. §. 3 sqq. *Petri Morestelli* iusta fun. L. I. c. 26. *Thylessum* de Color. c. 3, atque alios.) Id tantum liceat adnotasse eundem Judæis quoque fuisse in usu, & atrum sive fuscum colorem afflicti atque in luctu ac squalore positi animi, fuisse indicium. Non obscure id colligitur ex Job. V: 11. XXX: 28. Ps. XXXV: 14. XXXVIII. 7. Jer. VIII: 21. Mal. III: 14. sicut & Josephus L. XIV. Ant. Jud. c. 17. reis ad tribunal euntibus ἐσθηται μελαυραν adscribit. Ex quibus patet, quid sibi velit illa phrasis שחור על אלת השחר, videlicet vel illum prae-

praecentorem, cui hic hymnus erat decan-
tandus, atratum ac lugubri indutum veste
apparuisse, vel ipsum illud *δργانون* musi-
cum, sive illa fuerit tibia, sive tympanum, fuisse
instrumentum *nigroris, tenebrarum, caliginis*, hoc
est, ex phrasi Ebraica, luctus atque moestitiae.
Atque ita, cum ex Baal Aruch & Schilte hagge-
burim audiverimus אֵילֵת, cum in festivitati-
bus, tum in luctu adhibitum, אֵילֵת השַׁחַד potuit posterioris esse generis. Eleganter autem
& perquam scite hanc denominationem a *nigrore* traxisset, si probari posset, veteribus id
olim fuisse in more positum, quod nostro aevo
fit frequenter, ut in publico luctu, in exsequiis
praecipue Principum, aut Ducum bellicorum
organa musica, tympana praesertim, ad quae,
nostrum quoque אֵילֵת referunt citati
auctores, nigro panno obducerentur, ac vela-
rentur.

§.20. Hae vero tituli hujus interpretationes,
quemadmodum *emphasis*, atque significatio-
nem vocum exhibent egregie, ita non minus
cum *scopo* atque *argumento* totius Psalmi con-
veniunt accurate. Complectitur enim triste
illud *Lamentum*, *gemitusque* atque *horribilem*
ululatum, quibus implevit aëra Sanctissimus
humani generis Sospitator, quum acerbis-
simum, dirissimumque crucis supplicium su-
stineret. quo quidem lessu dubito an un-
quam aliquid tristius aut magis flebile audi-
tum fuerit. Illius rei memoria cottidie ferme
Judae-

Judaeorum animis refricari debuit, ut, cum in templo agnus sacrificii jugis mactaretur albescente die, hymnus cantaretur, quo illi exprimebantur gemitus, quos agnus ille immaculatus, mundi crimina auferens, editurus erat. Quid autem convenientius erat, quam ut ille illi Cantorum *εργασδιωκη* traderetur, cui lugubrium modorum cantus demandatus erat? ut ille illo uteretur instrumenti genere, quod ad significandum acerbissimum dolorem erat maxime idoneum? quod vel ipso suo sono indicaret *ejulatum* atque *ululatum*, (*יְהוָה יְהוָה*, ut ipse Psalteres vs. 2. vocat. Lutherus in prima versione recte vertit *Wörter des heulens*) hoc hymno exprimendum? Ita ut hic quoque illa regula locum habeat, quae vigesima prima est inter illas hermeneuticas; quas in explicatione titulorum Psalmorum clarissimus Sontagius posuit, scilicet, *verba initialia Psalmorum cum titulis conjuncta saepe exhibere argumentum illorum.*

§. 21. Huc facit, quod statim in limine Psalmi ingeminetur illud *יְהוָה, יְהוָה*, quod ipse Servator bis, idque *μελα κραυγης ισχυρας και δακρυων* per *ηλι, ηλι*, apud Matthaeum, vel per *ελωι, ελωι*, apud Marcum, vel per *ηλει, ηλει* ut apud Eusebium L. X. Dem. Evang. legitur, vel, ut Syrus habet, *יְהוָה, יְהוָה*, expressit, in quibus apertam, neque inelegantem nostri *יהוה* esse paronomasiam nemo non videt. Quemadmodum pariter eandem oc-

cur-

currere deinceps vs. 20, ubi Deum vocat, אילות, fortitudo mea, seu robur meum, cujus auxilium tam fervidis implorat precibus, mihi valde fit verosimile.

§. 22. Quam autem (B) ex his omnibus nihil elicies aliud, quam eam interpretationem, quam indicavimus, POSSE heic locum habere, ita & DEBERE id fieri necessario, id quidem nunc videndum, num a nobis demonstrari queat. Fiet autem illud, nisi allucinamur, ex sequenti regula, Quoties vox per praepositiones וּ vel לְ jungitur לְמַנְצֵחַ, in Psalmorum inscriptionibus, ea nunquam eorum argumentum notat, sed SEMPER aliquod INSTRUMENTUM MUSICUM, quod in decantatione hymni a quodam musices direttore debuit adhiberi. Eum in finem notandum est eos, quibus cura erat Musices in templo Hierosolymitano, in certis classes fuisse distributos ex constitutione Davidis, de qua lege 1. Paral. XVI: 10. sqq. XXIV: 5. 2 Paral. XXIV: 12, 13. Tres summi praefecti praecerant XXIV. Ephemeris, respondentibus totidem Sacerdotum classibus. In unaquaque Ephemeria erant XII. magistri, qui numerum faciebant CCLXXXVIII. Et ut prioris generis praefecti videntur dici ראשי המשרדים Neh. XII: 46. Ita tertii huius ordinis innui putem per illos מנצחים, qui toties in titulis Psalmorum commemorantur, praecipue cum alicujus instrumenti

ti Musici simul injicitur mentio. Hos alias
 ἐργοδιωκτας, ἐπιστάτας, χορηγους, ἀρχισυμφωνια-
 κτας, Φωνασκας, Graece, at Latine, *Musices dire-*
ctores, praefectos symphoniae; praecentores di-
ceres. His cum incumberet curam gerere
 musices in templo, certi videntur illis dati
 psalmi, certis locis, certisque diebus, cer-
 tis adhibitis instrumentis decantandi. At-
 que ab illis instrumentis suum fortiebantur
 nomen, ut exinde dicerentur **לַעֲדוֹת**
 alamuth, neghinoth, machil, schégionoth,
 gittith, michtham, schigaion, Jeduthun,
 Schofchanim, quae omnia nomina sunt in-
 strumentorum musicorum, quorum in sa-
 cris Israelitarum usus erat, tametsi, cujus ea
 fuerint generis, nunc à nobis accurate non
 possit ostendi: Idque eo modo, ac si nunc
 chorus quidam Musicorum sua inter se of-
 ficia partiretur, atque vel à lyra vel tympa-
 no vel *tibia*, vel cithara; vel plectro unusquis-
 que nomina sua mutuaretur.

§. 23. Puto me haec non docere posse
 melius, quam verbis R. Davidis Kimchii,
 quae in ejus in Psalmum quartum commen-
 tario leguntur, prout ab Ambrosio Janvier
 civitate Latina donata sunt. Quae cum haec
 egregie illustrent, non pigebit adscribere:
 „*Vox quidem*, ait ille, **מְנַצֵּחַ**, Menatseahh illum
 „denotare videtur, qui erat praepositus super
 „cantores, & per ejusmodi praepositos Psal-
 „mi etiam videntur esse dictati, à quibus da-
 bantur

„bantur eis, qui illos musicis instrumentis
 „modulabantur & decantabant. Nec alicubi
 „reperies, cantori aut pulsanti instrumenta;
 „sed praecentori, sic etiam in oratione Aba-
 „cuk legitur; *Praecentori in melodiis meis.* Et
 „alio in loco, (1. Paral. 23.) *Ex his erant, ut*
 „*praecessent ministerio domus Domini:* Item, in
 „*citharis super octava ad praesidendum,* לַנְּצִיחַ *la-*
 „*netseabh,* (ibid. c. 15.) Ex his autem praecento-
 „ribus, alius erat praepositus instrumento,
 „quod vocatur שְׁמִינִית *(scheminit, hoc est, octa-*
 „*va.* Nam adhibitis instrumentis musicis
 „decantata fuerunt cantica, modulationes &
 „laudationes, unumquodque secundum su-
 „am melodiam, quae tum nota erat apud il-
 „los, (a) erat enim notitia Musicæ ars ma-
 „gna, quae etiam animam sapientiae seu ra-
 „tionalem excitat: unde & inter artes alias
 „externas recensetur & connumeratur. Cae-
 „terum instrumenta musica, quibus Divinae
 „laudes in templo concinebantur, haec erant:
 „nablia, citharae, cymbala, cornua, & tu-
 „bae: fueruntque instrumenta illa divisa se-
 „cundum varias melodias seu pulsationes mu-
 „sicas, quae apud antiquos notae & in usu erant.
 „Quaedam autem ex illis appellabatur עלמות *el-*
 „*alamoth,* ut illo in loco scribitur, 1. Paral.
 „15.20. *In nabliis cantabant super עלמות aala-*
 „*moth:* scriptum etiam est: *Canticum super*
 „עלמות *alamoth.* Alia vocatur נְגִינֹת *negbi-*
 notb

1, notb & ad illam hic Pfalmus decantatus est.
 2, Alia משכיל *Maschil*. Alia מכזם *Michtam*,
 3, Alia שגיון *Schigation*. Alia נחילות *Nehilotb*.
 4, Alia שגיונות *Schegionoth*. Alia גיתית *Githith*.
 5, Ex ipsis etiam instrumentis est, quod voca-
 6, tur עשר *aaschor*, aliud עוגב *ougab*, aliud
 7, מינים *minim* appellatum fuit. Et horum
 8, quodlibet suum tonum seu melodiam di-
 9, stinctam habuit, ut notum est apud artis mu-
 10, sicae peritos. Et reperimus scriptum de ali-
 11, quo dicente: 1. Paral. 23. 6, Et quatuor
 12, millia laudantium Deum in musicis instrumentis,
 13, quae ego feci ad laudes decantandas: sed igno-
 14, tum est nobis, utrum illi, qui musica instru-
 15, menta pulsabant manibus, etiam ore suo
 16, Pfalmum decantarent: an vero simul essent,
 17, qui ore psallerent & è regione illorum sta-
 18, rent alii, qui ipsa instrumenta pulsarent. In
 19, alio enim loco scriptum reperimus: 2. Par.
 20, 7. Et Levitae, cum instrumentis Cantici, quae fe-
 21, cit David Rex Domino, quoniam in aeternum mi-
 22, sericordia ejus, hymnos David canentes. Porro
 23, Sacerdotes canebant tubis ante eos. Ibid. c. 29.
 24, Et in alio loco rursus scriptum est: Univer-
 25, sus coetus adorabat cantans canticum & concre-
 26, pans tubis. Cum tamen tubae fuerint tan-
 27, tum in manibus Sacerdotum, sicut scriptum
 28, est: Num. 10. Porro filii Aaron Sacerdotes, clangent
 29, tubis. Caetera vero musica instrumenta fuerunt
 30, in manibus Levitarum, ut scriptum est: Ste-
 31, **E** *terunt*

teruntque Levitae habentes organa David: & Sacerdotes tenebant mihi. Haec Kimchius.

§. 24. Regulam autem illam, quam modo dedimus, firmam, constantemque esse ex inductione locorum omnium patet, in quibus ejusmodi constructio occurrit, vide Pf. VI: VIII: IX: XII: XLV: XLVI: LVI: LX: LXI: LXII: LXIX, LXXVII: LXXXIV: LXXXVIII. Aliquando loco לַי legitur לֵא Pf. IV: V. LVII LVIII. LXXX. Et sic haec Hebraeorum phrasis conferenda est cum illa Latinorum, *canere ad tibiam*. Aliquando junguntur literula ך vel ם Pf. IV: VI: XXXIX: LIV: LV LXXVI: confer 1. Par. XV: 16. Unde recte titulorum Psalmorum regulas hermeneuticas traditurus cl. *Sontagius*, quem laudavimus, pag. 24. ita scribit. *Evidens est, nomen, quod per istas praepositiones cum voce תצננל constructur, quam frequentissime instrumentum Musicum designare, dico, frequentissime, patitur enim haec regula exceptionem, v. gr. Ps. XXII: XLV: LVI: Haec ille. Ego vero ajo, non frequentissime, sed omnino SEMPER. Illud verum à me evictum esse existumabo, si vel ipsas illas trium hymnorum inscriptiones, quas ipse vir doctus ex hoc censu eximendas esse putavit, in eundem referendas esse ostendero.*

§. 25. Quod itaque primo ad Pf. XLV: cuius inscriptio cum Titulis Psalmorum LX: LXIX: & LXXX, comparari debet, adinet, ibi

ibi per ששונים vel melodiam aliquam vel instrumenti musici speciem intelligendam esse erudite ac praeclare, ut solet, ostendit celeberrimus Vir, meus, ut in rebus aliis, ita & in hac Bibliotheca instruenda *συεργος* optatissimus, Fr. Ad. Lampius, in Exercitationibus, quibus nuper huic hymno illustrem lampada praetulit. Ex. I. §. 14. Liceat tantum ejus sententiae illustrandae firmandaeque id adjicere, Auctorem Schilte Hagg. organis musicis quoque acensere ששונים, sicut eorum statim post adducta §. 13. verba, quibus de *Ajeleth bascachar* egerat, licet nulla explicatione addita, meminit. Porro observo *cymbala* (ea enim Vir doctissimus indigitari putat) concinne admodum atque eleganter dici ששנים, i. e. *lilia*, non tam, quod accedant ad formam liliorum vulgarium, quae nostris nascuntur in hortis, illorum enim folia extenduntur supra latius, at in figuram acutam desinunt, cum tamen cymbalorum figuram infra rotundam esse ex signis antiquis omnibus, quae cernere datum est, constat. Sed id potius factum arbitrer, ratione id genus liliorum, quorum proventus in Palaestina, vicinisque regionibus uberri- mus est, quae *Lilia* vocamus *convallium*, quae- que Servatorem respexisse, digitoque exser- to monstrasse putamus, quando ex vertice montis, in quo pulcerrimam illam concio- nem habuit, quae Capitibus, D. Matthaei

V. VI & VII. describitur. in adjacentes valles prospectans, καλαμαθετε, inquit, τα κρηνα τα αγρα &c. Quisquis enim illa, quem admodum caulibus suis adhaerent, adtente consideraverit, fatebitur vix ovum similius esse ovo, quam illa sunt illis cymbalorum figuris, quae in eleganti illa gemma, quam possideo, cernitur, cujus ectypum cum Lampius meus in citatis exercitationibus, p. 27. tum accuratius celeberrimi Aetorum Lipsiensium collectores ad a. 1715. pag. 446, exhibuere. Hic enim & rotundam, concavamque figuram ipsius cymbali, & foliorum extremitates a se invicem distinctas, atque incurvatas, immo *Sextuplicem* foliorum divisionem, (quiquidem numerus & lilio & cymbalo nomen dedit) & in ejus manubrio denique, ejus caulem repraesentari exacte deprehendes. Atque hinc simul innotescit, quomodo de labio maris aenei dici potuerit fuisse כמעשה שפת-כוס פרח rotundum secundum opus labii calicis, floris lili 1. Reg. VII: 26, Nihil enim his verbis docetur aliud, quam labrum illud figuram praebuisse, qualis vel cymbalorum vel floris solet esse liliorum, quae a vallibus nomen suum traxere.

§. 26. Neque minus huc referendam existimo epigraphen Psalmi LVI: על למנצה זנת אלם רחקים. Quicumque enim haec verba, quasi de argumento Psalmi intelligenda

genda, vel Davidi applicanda, aut Christo aut etiam de Thamare dicta, quod a Judaeis factum est, (vide Wagenfeilii Sotam p. 198) voluere, five antiquiores, five recentiores spectes, eas dedere verborum interpretationes, quas non possis non contortas admodum, multisque obrutas difficultatibus, tamque obscuras judicare, ut novis eae ipsae interpretationibus egeant, teque multo, cum eas legeris, faciant incertiore, quam fueras dudum. Vide Sontagium de Tit. Ps. p. 707. seqq. Boch. Hier. p. II. L. I. c. 3. Pfeiff. dub. vex. Cent. III. Loc. 68. alios. Quamobrem eorum magis arridet sententia, qui cum Abenefra, quem Athanasius Kircherus Musurgiae T. I. p. 58. 159. Simeon Muisius in hunc locum, Alstedius in Triumpho Bibl. p. 153 sqq. & S. Bochartus citato loco secuti sunt, haec verba putant esse initium trietae alicujus cantilenaе five melodiae, ad cuius modum hic Psalmus fuerit decantandus. Quamquam ego quidem, ita instrumentum aliquod musicum appellatum esse mavelim; in qua etiam sententia auctores videntur fuisse versionis Gallicae Genevensium, & nuperae Belgicae, retinentes ipsas voces Ebraicas, sicut & Moses Amyraldus, qui ita belle *מִיִּתְבָּרַם*. *Michtbam* five *carmen aureum à Davide compositum, & praefecto symphoniae Tabernaculi traditum, ut caneretur super Jonathem rethokim.*

§. 27. Neque quisquam à nobis exigat, genuinam verborum horum significationem, aut illius denominationis rationem. Quod si enim vel illorum nominum quibus instrumenta, quae ad aliquam artem pertinent, designantur, vel in ipsis linguis, quarum etiamnum usus viget, *ἔτυμον* ac veras causas frustra saepe quaesiveris, sane non mirum est, si id genus voces in lingua Ebraica, quae nunc quidem obsoleta est, cujusque paucissima monumenta exstant, ignorentur. Unde non mirum est, viros in linguarum sacrarum studio regnantes, in hac re incitiam suam fateri non puduisse. J. H. Hottingerus, at quis eo Philologiae sacrae callentior? haec instrumentorum Musices nomina obscura plane & explicatu difficilia agnovit in Theſ. Phil. L, II. c. 1. §. 3. Neque ego vererer, verba mea facere Viri in his literis summi Joh. Ligtfooti, quae in ejus de Ministerio templi Libro Cap. VII. Or. E. l. p. 697. leguntur. *In inquirendo accurate, cujusnam generis essent haec instrumenta, & recensendis variis circa illa scriptorum sententiis multum temporis consumeremus, ac omnibus tentatis, tandem in conjectura acquiescere nos oporteret, & concludere tantum possemus, fieri posse, ut hoc hujus generis esset, illud alterius; audacius enim & difficilius esset quicquam certo definire.* Ipsi adeo Judaei, etsi multa de iis saepe disputant, ignorantiam suam tamen subinde nequeunt diffiteri, quod

quod vel ex Abenesrae, qui inter eos familiam ducit, confessione patet, cum in Comm. ad Psalmum CL. aperte scribit, אין דרך לדעת, אלה כלי הנגונים. *Nulla nobis via patet ad cognoscenda illa instrumenta musicalia.* Quod si itaque nobis non liceret accurate describere illud *Jonathelem Rechokim*, vel reliqua etiam illa nomina, quae in principio Psalmorum occurrunt, non tamen inde minus illa ad instrumenta musicae artis referenda existimabis.

§. 28. Si tamen hic aliquid dicendum est, potuit vocari יון, quasi *Graecum*, quod ejus usus è Graecia sit arcessendus, aut homo Graecus eam invenerit, sicut ipsas columbas יונים quasi Graecos, suspicatur dictus magnus Bochartus, quod eorum origo e Graecia sit petenda. Graecos enim olim dictos *Ioves*, & Hebraice יוני, (quam vocem ex instituto quidem Masoretharum legi, *Javanim* scimus, ac non minus recte *Jonim* legi potest, sicut & apud profanos scriptores *Ioves*, *Iovves*, & *Iovves* idem sonat,) notum est, & vel ex Dan. VIII: 21. & Joel. III: 6. constat. Fortassis etiam a *columba* nomen suum traxit, vel quod figuram haberet illius avis, vel signum columbae gereret impressum, vel denique ejus sonus, sonum ingemiscientium columbarum referret. Cogitavi etiam aliquando, an הים sit pluralis numerus ab ה, quae vox vel *arietem* vel *ceresum* significat. Illa autem in plurali & הים habet, & הים.

Aliquando autem posterius in plurali solet
omitti. Si autem quaeris, quomodo אלים
instrumento musico dare potuerit nomen,
cogita, anne ejus rei possit esse ratio, quod
vel totum ex ossibus *cervorum*, quod §. 10.
tibiis accidisse frequentissime, vidimus, esset
compositum, vel saltem chordae vel fidi-
culae illius fuerint ex pellibus aut intestinis
caprarum vel arietum vel *cervorum* paratae.
Et sic רחקים ordinariam significationem
posset retinere, ut אלים רחקים notet chor-
das à se invicem remotas, latiusque distitas.
Atque ita indicaretur plectrum aliquod, quod
quacumque etiam de causa dicebatur ונת, &
chordis munitum erat dilatatis. Sed nihil
definitio; Neque enim in his rebus locus est,
nisi hariolationi. Id tamen hinc puto evi-
dum esse, ipsam quoque hujus Psalmi titu-
lum non magis, ac illum Psalmi vicefimi se-
cundi, evertere regulam, quam §. 15. po-
suimus. Ex quo pariter constat, cum nu-
spiam talis constructio verborum occurrat,
qualis in hujus Psalmi inscriptione est, &
nomen aliquod cum למנצח per voculam נ
construatur, ut hic fit, quin ibi, non *argumen-
tum* hymni, sed *instrumentum* aliquod *musi-
cum* innuatur, inde tuto colligas, non *ar-
gumentum* Psalmi, sed tale quoque organum,
ad quod ille decantatus fuit, nostro hoc אלת
השיר indicari, neque aliter haec explicari
posse, J. Q. E. D.

§. 29 Quae cum ita (C) sint, non mirum est, id nonnullis Interpretibus aequè ex Judaeorum, quam Christianorum familia saboluisse, quamquam omnes dubitanter admodum sententiam suam proposuerunt, neque ullus est, quod sciam, qui sine haesitatione ita interpretanda haec esse aperte adseveraverit. Augustinus Justinianus, Episcopus Nebiensis, qui ineunte saeculo XVI. octaplum Psalterii edidit, illam multis, immo plerisque Hebraeorum doctoribus adscribit. Ita Jacobus Abendana in notis ad R. Salomonis Melech Michlol. Jophi scribit. **יש אומרים כי אילת השחר אחר** כלל הנון: *Sunt, qui dicunt, Ejeleth haschachar esse unum ex organis musicis.* R. Salomo Jarchi **אילת** dicit esse **שם כלל שיר**, *nomen Instrumenti musicalis* in Comm. in hunc Psalmum. Abenefra aliquos in ea esse opinionem scribit, esse **ננון** *instrumentum pulsatile*, ut nablium, lyram, cytharam &c. R. David Kimchi in annot. ad hunc hymnum sententias varias recenset, primo tamen loco hanc ponit. **אילת השחר הוא סכלי הנון** In libro tamen **שרשים** ubi eandem vocem explicat de hac vocis interpretatione plane, quod miror, filet. Alias Auctores Baal-Aruch, & **שלטי הנבורים** de **ארום** s. tympano explicasse jam supra à nobis §. 13. visum fuit. Ex Christianis huc inclinat, Aretius Felinus, vel potius, qui sub eo nomine latere aliquan-

do voluit, Martinus Bucerus, quando in notis ad hunc Psalmum scribit *se haut illibenter eorum secutorum esse interpretamentum, qui volunt אֵלֶּה nomen esse stellae, si non suo more Psaltes organum aliquod musices vel certam melodiae speciem voce hac significare voluisset.* Henricus Mollerus, non contemnendus interpres, ait nonnullos de instrumento musico, quod adhibitum sit in templo, cum hic Psalmus decantandus traderetur, explicare, ipsam autem hanc sententiam in medio relinquit, neque, quod circa reliquas fecerat, refutare ausus est. Eadem media sc. via incessere A. Rivetus, Joh. Coccejus, & Joh. Markius, illi in commentariis ad hunc Psalmum, hic in exercit. exegeticis. XVI. p. 224. Elegans *παραδρασις* hujus tituli est Mosis Amyraldi. *Psalmus compositus a Davide, & traditus praefecto symphoniae Tabernaculi, ut caneretur ad modulationem ajeleth haschachar.* Neque ab eadem opinione abhorruisse videntur interpretes & Genevenses, & Angli & Belgae, qui voces illas interpretari non fuere ausi, sed ipsas literas, prout in textu Ebraico sonant, retinuerunt. Ex quibus omnibus constat, sententiam hanc, quam adferuimus, licet ea non communiter recepta sit, suis tamen non destitui auctoritatibus, neque Viris etiam eruditissimis absonam fuisse visam. Atque haec haec tenus.

AUTHENTIA ET HARMONIA

Utrorumque Decalogi Exemplarium,
Exod. XX. & Deut. V. exstantium,
adferta

a

FRIDERICO ADOLPHO
LAMPÉ.

V. D. M. in Eccl. Bremensi,

SUMMARIUM.

§. I.

Variantes Decalogi lectiones in tabella exhibentur.
§. 2. Nihil in iis Atheis lucri §. 3. neque
Criticeis juris deprehenditur. §. 4. Non ex lapsu memo-
riæ prognatae. §. 6. neque ex prolubio Moïsis §. 7. sed
ex consilio Dei. §. 8--13. de origine variationis an-
quiritur, eaque ex diversitate tabularum Legis deriva-
tur. §. 14. causa variationis præcipua in fœderis Sinai-
tici ratione ponitur. §. 15. Examinatur varia lectio
præcepti secundi. §. 16--21. præcepti quarti. §. 22.
præcepti quinti. §. 23. præcepti septimi & sequentium
§. 24. præcepti noni. §. 25--27. præcepti decimi.

I.

Inter differentias in sacris sæpe-
numero visa est notabilis, quæ
inter *duo exemplaria Decalogi* oc-
currit, quorum alterum Exod.
XX. 2-17, ex ore ipsius Dei quasi descriptum,
alte-

alterum Deut. V. 6-21. a Mose repetitum est. Cum enim reliquæ discrepantiæ inter diversos scriptores deprehendantur, heic idem scriptor a se ipso differre videtur: idque non in sermone aliquo communi, sed in recitatione *legum fundamentalium* quam solemnissime a supremo Legislatore prolatarum, & in absolutissima *Federis* inviolabilis *formula*, Accedebat, quod formula illa esset brevissima, & authenticum ejus exemplar in tabulis lapideis ad manus esset. Et tamen haud pauca variata deprehenduntur: quæ in hac tabella in antecessum exhibemus.

Exod. XX. Deut. V.

Præcepto secundo.

Visitans iniquitatem	Visitans iniquitatem
Patrum in filiis	Patrum in filiis
י-שלשים על in nepotibus (<i>absque copula</i>)	ועל-שלשים & in nepotibus (<i>cum copula</i>)
Et in fine: amantibus me & observantibus	Amantibus me & observantibus
מצותי præcepta mea.	מצותיו præcepta ejus.

Præcepto quarto.

Memento זכור diei Sabbathi, ut sanctifices eum.	Observa שמר diem Sabbathi, ut sanctifices eum.
---	--

Et

Et servus & ancilla tua & jumentum tuum & peregrinus tuus, qui est in portis,

Et servus tuus & ancilla tua & bos tuus & asinus tuus & omne jumentum tuum & peregrinus tuus, qui est in portis tuis, ut quiescat servus tuus & ancilla tua, sicut tu.

Nam sex diebus fecit Jehova caelum & terram & mare, & omnia, quae in iis sunt, & quievit in die septimo: propterea benedixit Jehova diei septimo & sanctificavit eum.

Et memineris te servum fuisse **IN TERRA AEGYPTI**, Jehovam vero Deum tuum eduxisse te inde manu forti & brachio extento: idcirco praecipit tibi Jehova Deus tuus, ut observes diem ipsum sabbati.

Præcepto quinto.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies tui in terra, quam Jehova Deus tuus dat tibi.

Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut praecipit tibi Jehova Deus tuus, ut prolongentur dies tui, & ut bene tibi sit in terra, quam Jehova Deus tuus dat tibi.

Præceptum septimum, octavum, nonum &

& decimum in Deuteronomio per copulam incipiunt, quæ in Exodo non invenitur,

Præcepto nono.

Non respondebis contra proximum tuum testimonium שקר <i>falsum.</i>	Non respondebis contra proximum tuum testimoniū שוא <i>vanum.</i>
---	---

Præcepto decimo.

Non concupisces תחמד domum proximi tui. Non concupisces תחמד uxorem proximi tui & servum ejus & ancillam ejus & bovem ejus & asinum ejus, & omnia, quæ sunt proximi tui.	Et non concupisces תחמד uxorem proximi tui. Et non impensius desiderabis, תתאוה domum proximi tui agrum ejus & servum ejus, & ancillam ejus, bovem ejus, asinum ejus, & omnia, quæ sunt proximi tui.
--	--

En syllabum *variarum lectionum* in brevissimo Legis perfectissimæ & a Deo ipso promulgatæ breviculo, quæ sane majorem attentionem merentur, quam tot *variarum lectionum* in profanis scriptoribus plaustra, quæ Criticos multos per totam ætatem exercent. Quæ in accentibus occurrit differentia, eam nunc non moramur, quia litem de divina eorum origine nondum terminatam

tam existimamus, & ad eam iudices nos sedere nunc non lubet.

II. Et id quidem primo statim intuitu facile dispicitur, nihil hac diversitate lucrari Atheos & divinitatis scripturæ adversarios. Nulla enim in essentialibus occurrit mutatio, sed tantum in accidentalibus, uti prolixius probatur a Celeb. *Altingio* de Sabbatho lib. IV. c. 10. Nihil quoque in utroque exemplari contradictorium, nihil sanæ rationi contrarium, aut sapientia summi legislatoris indignum pronuntiatur.

III. Tales præterea statuimus has varietates, ut Criticæ manus medelam non requirant. Illa enim amanuensium incuriam supponit, qua factum est, ut multa veterum authorum scripta mirum in modum deturpata sint. Sed quamvis non negemus reperiri hinc inde quasdam in sacro Codice mendas, quæ prudentiæ lectoris corrigendæ relinquuntur, singularis tamen Dei providentia in eo est agnoscenda, tum quod suppetat exemplarium copia, ex quibus corrupta exemplaria corrigi possunt, tum quod loca, in quibus cardo fidei nostræ vertitur, inter quæ Decalogum quam maxime numerandum censemus, a talibus corruptelis conservaverit. Nisi forte quis huc referre vellet literæ ך cum ך in voce ךׁׁׁ permutationem. Frequens hæc mutatio in sacro codice est. *Masora* tradit ךׁׁׁ seu 41 esse

esse voces scriptas in fine cum Vav & lectas cum jod & enumerat eas in initio primi libri Samuelis. Conferri possunt, quæ in hanc rem notarunt *Cappellus* Crit. Sacr. lib. III, c. 12, *Buxtorfius* Vindic. verit. Hebr. P. II. c. 4. *Hil-lerus* Arcani Keri & Kethib. lib. II. cap. 4 &c. In nostro quoque loco Deut. V. 10. יָסֹבֵב pro י legisse ex versione: Προστὰ γὰρ ἡμῶν, constat. Succenturiatur Chaldæus, qui habet פָּקוּדִי. Et accedit huic versioni inde non leve momentum, quod, si legendum esset, *mandata* ejus, oporteret in Hebræo ante י finale inferi literam י & sic legi מְצוּוֹתֵי, uti notat *Piscator* ad h. l. Nec statim tamen ad correctionem confugiendum est, ubi alia suppetit ratio, & alia loca suppetunt, in quibus similis variatio studio a Spiritu sancto instituta esse videtur. Exemplo fit repetitio Psalmi Eucharistici, qui habetur 2. sam. XXII. & inter Psalmos Davidicos locum *decimum octavam* deinceps obtinuit, ubi non sine ratione pro יָגֵלֵי pedes ejus substitutum est יָגֵלֵי pedes meos.

IV. Suo ergo hæc loco relinquentes secure statuimus differentiam in exemplaribus Decalogi aut ex lapsu memoria, aut ex prolubio *Mosis*, aut ex divina directione & inspiratione profluxisse.

V. *Lapsui memoria* nullus relinquitur locus, non tantum, quia hoc pacto authoritas sacrae scripturae profus concideret, sed eti-

am quia impossibile erat, ut a memoria Mo-
ses destitueretur, cum ante oculos haberet
verba, quæ ipse Exodi XX. exaraverat, quæ-
que facili opera in Deuteronomio describe-
re poterat, & debebat, ut omnem vitiliti-
gandi occasionem populo incredulo præscin-
deret.

VI. Aliis ergo visum est, Mosē pro lu-
bitu explicationis causa, & ne nimis litera-
rum apicibus populus Israëliticus adsuesceret
hanc mutationem suscepisse. Laudantur
præcipue in hanc rem Viri sane magni,
Hugonis Grotii in Decalogum notata: *Scien-
dum est autem, ait, quæ in Exodo hoc loco ha-
bentur verba, per Angelum Dei nomine prolata:
quæ vero sunt Deut. V. esse Mosi eadem memoriter
referentis, & quidem ea libertate, ut voces
transponat interdum, quasdam cum idem significan-
tibus commutet, omittat quadam satis nota ex
prioribus, addat alia interpretamenti vice. Par-
mutandi verba libertas & aliis in locis sacre
scripturæ, non indiligenti ejus Lectori apparet, ut
Gen. XVII. 4. collato 7. Gen. XXIV. 17. col-
lato 43. Exod. XI. 4. collato XII. 28. Exod.
XXXII. 11. & seqq. collato Deut. IX. 27 & seqq.
Pertinet autem hac observatio eo, ne in sacris
Literis simus VOCULARUM AUCUPES, ut Ju-
dei quidam, qui & illa quæ in Exodo, & quæ in
Deuteronomio sunt verba, pariter uno eodemque
puncto temporis prolata, simulque ubi transpositio
est, inverso ordine, quæ prius fuerant dicta &
postea-*

posterius, posteriora sensum eundem continentia prius etiam dicta somniant. Satis multa sunt in sacris historiis miracula, ut nova extra necessitatem, nullique usui comminisci nihil sit opus. Mirifice hæc verba arident authori suspectæ dissertationis de inspiratione sacrorum scriptorum, quæ inserta est libello paradoxo *Sentimens de quelques Theologiens sur l' Histoire Critique*. c. XI. p. 224. sqq. Et improvide aliquos ex nostratibus, *Drusum, Pellicanum* & alios vix ulterius ascendisse doleo. Forte se circumspicius expressissent, si perpendissent, quousque hæc opinio divinitatem sacræ scripturæ suspectam reddere queat. Ad minimum pollex per hanc hypothesein illis premitur, qui inspirationem Spiritus sancti quoad res duntaxat & argumentum dictionis, non vero quoad singula verba admittunt, quorum errori alio fors tempore ex professo obviam ibimus. Quod si vel maxime hæc hypothesis admitteretur, non tamen ad nostrum locum extendenda esset. Reverentia, quam Moses divinæ legi debebat, quæ in usum universæ Ecclesiæ tanto cum apparatu a Deo ipso tradita erat, requirebat, ut nihil absque nutu ipsius Legislatoris immutaret. Quid enim? Annon sapientia ipsius Regis tacite incusaretur, si Ministro regni, cui tabulæ præceptorum ejus traduntur promulgandæ, videretur pro lubitu eas refingere, aptiora vocabula substituere, argumenta adhibita tanquam minus ponderosa omittere, & alia tan-

tanquam aptiora addere? Sed forsan *interpretem agere voluit*. Ne id quidem commode dicitur. Cur enim interpretationem non potius ad finem rejecisset? Aut cur ea, quæ satis per se clara erant, interpretatus esset, obscuriora sine ullo commentario transmisisset? Accedit, quod præcipuæ variationes, quales sunt in præcepto quarto & quinto, non sint interpretamenta, sed additamenta. Neque substitutiones vocum clararum loco æque clararū in præcepto nono & decimo pro interpretamentis haberi possunt. Loca autem adducta a Grotio si consulantur, nihil parallelum cum nostro habere facili opera unusquisque deprehendet. Gen. XVII. ea quæ v. 4. summam dicta erant vs. 7. prolixius per partes diducuntur. Gen. XXIV. 43. Eleazar sua dicta repetit. Exod. XII. 28. narratur implementum eorum, quæ Exod. XI. 4. prædicta erant. Deut. IX. 27. sqq. Moses repetit preces a se fusas. Quam longe ab his exemplis distat repetitio *legum* tam solemnium a Deo ipso prolatarum, quarum authenticum exemplar non tantum in tabulis legis, sed etiam in ipso Exodi libro existabat. Quod vero Judæorum circa voces & apices Legis conservandas curam concernit, fatemur superstitione eorum studium non carere, ita tamen, ut simul providentiam Dei commode Ecclesiæ suæ invigilantis adoremus, qua factum est, ut eorum *angeli-*

Religio incredibili norma fidei per tot secula intacta
taminata conservari potuerit.

VII. Pie ergo & secure credimus, eundem, qui sanctissimam legem dederat, omnis hujus mutationis unicum Authorem esse: Ejusque mutationis sapientissimas habuisse rationes, in quas cum debita reverentia inquirere & licet & fas est, ut eo magis sapientiam & sanctitatem supremi Legislatoris adoremus. Quotquot enim in scrutinio scripturæ sacræ attentius versantur, experientia addiscunt, omnes objectiones, quæ contra ejus sapientiam & divitias, quibus sensus ejus ubique abundat, strui possunt, defectui sollicitæ & cum reverentia & amore conjunctæ attentionis originem debere, atque ab iis, qui eam afferunt, felicissime elidi posse. Nos ergo, quæ tum *de origine*, tum *de causis* hujus mutationis meditati sumus, in medium proferamus. Quod si non singula singulorum palato se approbent, tantum tamen dicetur, quantum ad os obturandum temerariis Scripturæ censoribus erit affatim.

VIII. *Originem* Judæos in ipsa verborum utriusque exemplaris Decalogi a Deo instituta, ex monte Sinai per miraculum prolatione ponere, recte *Grotius* notavit. Excerptum enim in Rabbiorum commentariis ex *Mechilta* dictum ad præceptum quartum: *memores estote & servate uno verbo dictum est.* Quod a quibusdam eo usque exten-

tensum est, ut non tantum simul per miracu-
lam dicta, sed etiam scripta utriusque
exemplaris verba autument. *Jarchius* ad
Deut. V. 12 שמור ובראשונות הוא אומר זכור
שניהם בדיבור אחד וכתובה אחת נאמן
: *Observa*) at supra dixit:
memento. Utrumque uno verbo dictum fuit, at-
que una scriptura (utraque voces) fuere pro-
lata atque uno auditu percepta. Quosdam ta-
men inter eos commenti puduit. Audia-
mus *Menasse ben Israelem Conciliat.* in Exod.
Quaest. 27: Veteres sapientes, differentia hac
observata, in *Mechilta* inquit: Memores este
& servate, uno verbo dictum est. Quod, ut
recte notavit *R. Abraham Abenezra*, non ad lite-
ram accipiendum est. Etenim, quamvis conce-
deremus, divinum sermonem ab humano differ-
re, atque idem praeceptum aliis atque aliis ver-
bis efferi posse, nihilominus relinqueretur difficul-
tas ista, quod utraque simul verba audire Israëlitae
nequiverint. Nam necessario primum audienda
erat vox זכור memorem esse, dein שמור custodire,
quando in una eademque voce ipsa litera & multo
magis syllaba successive audiuntur. Idcirco supra
cicatus auctor *Rabbinicum* illud dictum emphasin
habere & majus aliquid significare existimat, ni-
mirum servationem a memoria pendere &c.

IX. Interpretes Christiani, praecipue
qui debita erga Scripturae textum reverentia
ducuntur, plerumque sicco pede hanc dif-

ficulatem transfiliunt & satis unanimiter superponere videntur, Mosis linguam & calamum ab inspirante Spiritu ita esse directa, ut verba non sine sapienti consilio Dei diversificata proferre.

X. Sed forte plus suberat. Quid si variatio, quæ in commentariis Mosisprehenditur, ipsis authenticis Legis exemplaribus exstiterit? Constat enim, bis tabulis lapideis eam inscriptam fuisse. *Tabulae priores* a Mose fractæ erant, cum e monte descenderet, & Israëlís defectionem indignatus conspiceret. *Tabulae posteriores* in Sanctuario adservabantur. Unde haut difficulter conjecerim diversam descriptionem Decalogi in ipsa diversitate harum Tabularum fundatam esse, ita ut in Exodo legantur ipsa verba priorum, in Deuteronomio vero posteriorum Tabularum. Argumenta, quibus hæc conjectura niti videtur hæc sunt. *Primo* certum est, non leve discrimen inter priores & posteriores tabulas intercessisse, quod Exod. XXXII. 16. indicatur: *Et tabulae opus Dei erant, scriptura quoque scriptura Dei erat, sculpta super tabulis.* En priores tabulas ut *opus Dei* consideratas, cum posteriores *opus Mosis* essent. Sic Exodi XXXIV. 1: *Et dixit Jehova ad Moysen, dola tibi duas tabulas lapideas similes prioribus & scribam super tabulas illas verba, quæ erant super tabulas priores, quas fregisti.* Idem repetitur Deuteronomii,

X. 1. 2. 3. 4. In tempore illo dixit Jehova ad me
 dola tibi duas tabulas lapideas, similes prioribus
 & adscende ad me in montem, & fac tibi ar-
 cam ligneam. Et scribam in tabulis illis verba,
 que erant in tabulis prioribus, quas fregisti, &
 pones eas in arca. Feci igitur arcam e lignis Sit-
 rim ac dolavi duas tabulas lapideas similes prio-
 ribus, ascendique in montem cum duabus tabu-
 lis in manu mea. Scripsitque in tabulis juxta
 scripturam priorem decem verba, que locutus
 fuerat Jehova vobiscum in monte ipso e medio
 ignis, in die illius congregationis, & dedit illas
 Jehova mihi, Anquiritur, quousque Tabulæ
 posteriores opus Mosis fuerint? An tantum
 quoad præparationem? Annon etiam quoad
 scriptionem? Plerique interpretes in priori
 sententia subsistunt. Posteriori tamen ob-
 stetricantur quidam ex Patribus Ecclesiæ, Cy-
 prianus in Sermone de Spiritu sancto, circa
 medium: Augustinus quæst. super Deuterom.
 XV. & super Exodum CLXVI. Nec pror-
 fus contemnenda hæc opinio nobis videtur,
 non tantum quia periculosum videtur fuisse,
 si populo ad superstitionem & imaginum cul-
 tum adeo proclivi κερμήλιον a Deo ipso imme-
 diate prolatum traditum esset, sed etiam quia
 textus citatus Exod. 32: 16. hanc prærogati-
 vam cum priori immediate connectit: Scri-
 ptura quoque Scriptura Dei erat. Potissimum
 quod a dissentientibus in medium affertur
 ex citatis Exod. 34. & Deut. 10. dictis deprom-

tum est, ubi simpliciter Deo scriptura tribuitur. Sed elevat hanc objectionem posterioris sententiæ patroni, quando ajunt *scripsisse* Dominum, quæ Mofi dictavit & scribi curavit. Et conferunt exemplum Pilati Joh. XIX. 21. 22. Consule fis *Dan. Henrici* Theologi Dresdensis eruditas *lucubrationes* in Aphorismum orthodoxum: *Deus Triunus auctor Scripturæ Sacrosanctæ summus primum Moysi, post Prophetæ, ac tandem Apostolis non solum res scribendas, sed verba etiam ipsa inspiravit* §. XXV. Cum ergo in reliquis circumstantiis inter tabulas priores & posteriores quædam differentia fuerit, eam quoque ipsis verbis intercessisse hariolari licet.

XI. Præterea certum est, ex hac suppositione omnes difficultates dissipari, quæ alias Scripturæ Sacræ lectorem hic remorari possunt. Ita Mosis fides & ἀπίθεια, quæ alias facile suspecta fieri potuisset, in plena luce sistitur. Ita in aprico ponitur, repetitionem Decalogi non esse otiosam & supervacuum, cum ille jam semel descriptus extaret & nemini non notus esset, & propterea nulla repetitione opus fuisset, nisi ita Spiritui sancto utrumque exemplar & priorum & posteriorum tabularum conservare placuisset, & publice legenda toti Israël exhibere, quæ in adyto sanctuarii occultata erant. Quare & Apostolus, cum aliquid ex Decalogo & quidem divinam quandam promissionem

nem citare vellet, qua præceptum quintum roboratum erat, ex Deuteronomio potius, quam Exodo, verba transsumsit Ephes. VI, 3: *Ἴνα εὖ σοι γένηται καὶ ἕσῃ μακροχρόνιος ἐπὶ τῷ κυρίῳ.* Nisi mavelis hoc ex τοῖς ὀ transsumtum, qui variationem quinti & decimi præcepti, quæ in Deuteronomio occurrunt, versioni Exodi inferuere. Quod ipsum tamen non leve causæ nostræ præjudicium est, nec alio consilio videtur factum esse, quam quia Græci interpretes Deum ipsum immediate hujus variationis authorem esse censuere.

XII, Nolim tamen inficias ire, superesse aliquid, quod huic coniecturæ opponi potest, disertum scilicet Mosis testimonium, quo declarat verba in Deuteronomio recitata, esse præcise verba illa, quæ Deus ex monte Sinai in prima Decalogi promulgatione prolocutus erat. Ita enim præfatur Deut. V. 4. 5: *In us locutus est Jehova vobiscum in monte illo e medio ignis (me stante inter Jehovam & vos tempore illo, ad referendum vobis sermonem Jehova, timebatis enim propter ignem illum) dicendo: Ego sum Jehova, & quæ sequuntur.* Deinde postquam verba Decalogi variata recitaverat vs. 22. iterum adjicit: *Hæc verba edixit Jehova toti congregationi vestræ in ipso monte, e medio ignis, nubis & caliginis voce magna, neque perrexit: sed inscripsit illa duabus tabulis lapideis, quas dedit mihi.* Hæc satis videntur

evidentia, ut inde concludamus, verba Mo-
 fis in Deuteronomio non fuisse alia, quam
 quæ primitus pronunciata & in prioribus
 tabulis exarata erant. Sed regerimus. (1)
 Si secundum omnem rigorem hæc verba
 Mosis intelliguntur, tum ex iis non tantum
 nostram sed etiã receptam Theologorum
 sententiam premi. Utcumque enim sumas,
 certum est verba Deuteronomii alia esse ab iis,
 quæ in Exodo a Deo ipso pronunciata esse
 referuntur. (2) Consilium Mosis fuisse vi-
 detur, non ut articulatim enarret singula
 ad publicationem Decalogi pertinentia, sed
 ut in compendio exhibeat, quicquid autho-
 riratem ejus adstruere poterat, quo sane
 etiã illud pertinebat, hæc *decem verba*
 quamvis leviuscule immutata, tam solen-
 niter fuisse promulgata & in fundamentum
 totius Fœderis Sinaitici posita. Sane com-
 pendiosa hæc dictionis Mosaicæ ratio etiã
 inde patet, quod perhibetur a Mose, *se tem-
 pore illo inter Jehovah & Israellem constitisse,*
 quod tamen in ipso illo temporis quo De-
 calogus e nubibus publicabatur, non est
 factum, sed paulo post & præcipue tum,
 cum tabulæ fœderis redintegrarentur Exod.
 XXXIV. 3. Quare nihil impedit, quo mi-
 nus etiã per *inscriptionem in tabulis lapideis*
 & prior & posterior simul comprehendi
 queat. (3) Atque id ita se habere eo magis
 persuademur, quia fontica Mofi constitit
 ratio

ratio, cur verba Deuteronomii nihil differre a verbis Jehovæ in Sinai loquentis perhiberet: *tum* quia nulla in essentialibus & in ipsis præceptis erat differentia: *tum* quia hæ posteriores tabulæ poterant spectari, ut fundamentum *fæderis Moabitici*, sicut priores erant basis *fæderis Sinaitici*; & dum identitatem horum præceptorum fundamentalium Moses urgebat, simul ipsius fæderis identitatem docebat, atque ita tacite confirmabat assertum commatis 2. & 3: *Jehova Deus noster pepigit nobiscum fædus in Chorebo. Non cum patribus nostris pepigit Jehova fædus istud, sed nobiscum, nobis inquam iis, qui hic sumus hodie, omnibus nobis, qui vivimus.*

XIII. Si cui jam porro inquirere allu-
bescat, cur Deo placuerit, essentia præceptorum Decalogi in utrisque exemplaribus immutabili manente, in additamentis minus essentialibus hanc variationem inducere, is sciat, etiam si nulla nobis suppeteret ratio, ea tamen nos erga Numen sapientissimum reverentia duci, ut pie credamus, nihil ab eo sine causa neque agi, neque scribi, neque actum scriptumve immutari. Quæ semel elocutus est, ita sapienter & decenter prolata esse certum est, ut nullam manum secundam requirant. Quare quoties Deus in repetitione dictorum suorum aliquid mutat, addit, demitve, id ex nullo alio consilio profluere potest, quam quia aliæ intercedunt

cedunt rationes & occasiones, quæ talem variationem requirunt. Forte etiam in ipso populo Israëlitico ejuscemodi circumstantiæ extare poterant, quæ nobis si conservatæ essent, tum rationes hujus mutationis nobis in aprico positæ essent, sed quia sublato toto schemate Fœderis Sinaitici illæ parum ad nos pertinebant, inde a Spiritu sancto prætermittæ sunt. Id tamen in re obscura divinare licet, voluisse Deum per variationem formulæ Fœderis Sinaitici Israëli in memoriam revocare fœdissimam ejus fractionem, quæ fractioni atque adeo & variationi tabularum legis ansam dederat. Præcipue id quoque non sine consilio accidisse auguror, ut præcipuæ mutationes in illis præceptisprehendantur, quæ pro potissimo totius *Legis Ceremonialis & Forensis* fundamento haberi debent. Nam in præcepto quarto radix est *Legis Ceremonialis*, quia *Sabbatum* potissimum Fœderis Sinaitici *Sacramentum* erat, uti alio loco evincimus. Et in præcepto quinto exhibetur radix *Legis Forensis*, quia magistratus, cum primis in Israële, *parentum* vicem semper gessere.

XIV. Sed singulis variatis lectionibus aliquantillum lucis adspargamus. Quæ præcepto secundo occurrunt, levioris sunt momenti, quam ut operam illis infumamus. Copula enim, absque sensus permutatione abesse & adesse potest. Et *תָּא מִצְוֹתָא* pro *מִצְוֹתָא*

מצות , si non errore amanuensis irrepfit, de quo tamen certi aliquid pronunciare veremur, ex consideratione mysterii SS. Trinitatis facile expediri potest. Præire hic Judæorum Magistros *κ. Bechai & Menabem Recanantensem*, statuentes duas personas in Decalogo distinguendas esse observavit *Altingius Comment. in Deuter. p. m. 268.* quorum hypothesin illustrat *Cl. Honertus in Viis Dei Tom. II. p. 1251.* Nihil sane inconcinnum statuminabitur, quando verba Decalogi ut verba nomine Patris prolata considerabuntur, qui sicut *primo præcepto* sub notione faciei suæ secundam personam vera fide & abnegatione sui colendam proponit, ita *præcepto secundo* non tantum ratione sui ipsius amorem exigit, sed etiam ratione faciei suæ, id est Filii, *observationem præceptorum ejus*, tanquam futuri certo respectu in Israël Regis.

XV. Plus immutatum est *præcepto quarto.* Ac primo quidem loco *זכור* recordare substitutum *שמר*, *observa.* Varia hic Rabbini comminiscuntur. Sunt qui invicem ita connectunt, quasi Dominus juberet per totam hebdomadam sabbathi *recordari*, ut quando venerit, eo solemnius *observetur.* Et addunt exemplum, si quis medio hebdomadis exquisitiorem cibum paraverit, ut eum servet, ad honorandum Sabbathum. Alii per *recordari* intelligunt memoriam Sabbathi in ejus vespe-

vespere, per *observare* autem observationem ipsius diei. Alii putant prius respicere ad mandatum quietis, posterius ad interdictum laboris. Plures opiniones, quarum adhuc minor ratio haberi potest, recenset *Menasse Ben Israëli* in *Exod.* quæst. 27. qui ipse posterius pro arctiori limitatione prioris habet, Ait enim: *Quia non sufficiebat recordari addit custodite nimirum ut coleretur.* *Cel. Altingius* in h. l. ad rem notat præceptum *recognitionis* non nisi in Decalogo primitus a Deo prolato occurrere: Vocem vero *observationis* deinceps constanter de Sabbatho adhibitam esse. Conferri possunt *Exod.* XXXI, 13. *Levit.* XIX. 3. 30. *Jes.* LVI, 2. In reliquis autem pollicem nostrum non obtinebit, quando addit: *Quando Deus fæderi suo hoc (Recordare) inseruit, revocavit eis in memoriam prisca tempora inde a prima ejus institutione, quo ejus fundamentum & originem meditentur, quemadmodum etiam propria ista commemoravit: Quod necessarium erat, quia Sabbathi usus aliquamdiu fuit intermissus, dum in Ægypto duram serviebant servitutem, Pharaone cessationem omnem negante Exod. 5. Ergo recordari jubet ratione habita neglectus qui intervenerat. Ast nunc Moses, cum totis 40. annis jugiter fuisset observatum Sabbathum, porro quoque observandum dicit, quod etiam a Prophetis sæpe dictum. In quibus verbis apparet, Virum clarissimum hypothese suæ nimium inservire, de Sabbatho*

tho ab initio mundi observato, quam nunc non examinamus. Nec adeo certum est, an Sabbathum XL annis tam accurate observatum sit. Nos accedimus *Drusio Clerico* & illis, qui existimant officium *observationis* in præscripto *recordationis* obscuriuscule contineri. Sed addimus Legislatori visum fuisse, ut illud clarius exprimeret, cum in-
 stauratio fœderis Sinaitici cum jugo graviori juncta accuratiorem illius ritus *observationem* requirere videretur, qui præcipuum antiqui fœderis sacramentum erat. Cœterum præceptum *custodiæ* seu *observationis* Sabbathi recte insinuat, Sabbathum ab Israël pretiosi instar thesauri & reconditis divinitus donati habendum. Quamvis enim quodammodo ad jugum pertineret, dulcissimi tamen mysterii, quietis animarum, umbra & sigillum erat. Magistri sane Judæorum, licet in vera significatione Sabbathi lippientes, pretium tamen ejus mirifice extollunt. Hinc quidam ajunt, *secundum Kabbalam septimum diem similem esse mundo animarum, ideoque neuntiquam de eo predicari vesperam & diluculum, utpote, qui totus sit lucidus absque ulla vespera vel tenebris.* Addunt alii: *Omnes fidei articulos & officia hominis Deo fœderati omnia præcepto Sabbathi comprehendendi, ipsum etiam tempus Messie & vivificationem mortuorum: quin sabbatha & festa Israël non alio fine data esse dicunt, quam ut in illis discant legem & meditentur futu-*

rum Sabbathum. Sed hæc alii prolixius exsecuti sunt, quæ non contemnenda, si mysterium Sabbathi latissime patens respicias. Et *παρόδω* tantum noto phrasin *observationis Sabbathi* ex posteriori legis exemplari ad ipsos gentiles dimanasse. Hinc *Juvenalis Sat. VI. v. 159. 160:*

*Observant ubi festa mero pede Sabbathæ Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.*

XVI. Præter hanc leviusculam in ipso mandato præcepti quarti immutationem, in recensione subjeutorum, ad quæ mandatum spectabat, inseruntur: *Bos tuus & asinus tuus & omne jumentum tuum.* Cum sub voce *בהמות* in Exodo adhibita & *bos & asinus* comprehendantur, non satis in aprico est, cur Legislator eam heic per specierum recensio- nem exponere voluerit. Peculiaris subesse potuit in quodam erroneo populi Israëliti conceptu ratio, quam Spiritus Sanctus posteritati transmittere supervacuum duxit. Forte per *jumentum בהמות* solos ad bovinum genus spectantes *juvencos & vitulos* intelligendos duxit gens superstitioni Ægyptiorum innutrita. Fors hæsit hic animis error, Jehovam hac declaratione non penitus improbare cultum Apidi aliisque Ægypti sterco- ribus exhibitum. Forte hoc ipsum *μοσχό- τωσις* insaniam maturavit. Talis certe casus satis superque Legislatori ansam dedisset

set, ut doceret, præceptum hoc non ad solos boves, sed etiam asinos, quin & omnia illa jumenta, quæ olim usu recipienda, mulos sc. & equos spectare. Alia quoque potuit subesse ratio, quæ magis propinqua quibusdam videbitur. Boves potissimum ad agriculturam adhibebat antiquitas, cætera jumenta ad itinera conficienda. Quare si per *בהמות* Israelitæ solos boves intellexissent, facile subnasci potuisset suspicio, agriculturam quidem in Sabbatho prohiberi, sed permitti itinera etiam longiuscula: quæ omnis tollitur, quando Deus illa etiam jumenta in Sabbatho quiescere jubet, quibus longiores vias emetiebantur. Sane quamvis vox *בהמות* plerumque generalis sit, videtur tamen aliquando restricta esse ad boves speciatim. Exemplo sit Pf. L. 10. Atque hinc alterutra falsa interpretatio facile progigni potuit.

XVII. Potissima autem variatio occurrit in rationibus, quibus præceptum hoc stabilitur. Ratio enim in Exodo exstans a creatione mundi desumpta penitus transmittitur, & duplex alia substituitur. Prior est specialis ad certa subjecta præcepti pertinens: *Ut quiescat servus tuus & ancilla tuâ, sicut tu.* Posterior est generalior, & quamvis aliquem respectum singularem ad eadem subjecta habeat, præceptum tamen in simul totum corroborare debebat: *Et memineris te*

servum fuisse in terra *Aegypti*; *Jehovam* vero Deum tuum eduxisse te inde manu forti & brachio extento: idcirco praecepit tibi *Jehova* Deus tuus, ut observes diem ipsum *Sabbathi*.

XVIII. Quod prius additamentum attinet, *Servi* & *ancilla* *Hebraeorum* ad duas classes referri possunt. Aut enim erant *nativitate* *Hebraei*, aut *peregrinae originis*, sive in bello capti, sive aere emti, sive domi nati. Ad posteriorem classem potissimum *Legislatores* respicere merito *Interpretibus* videtur. Prospexerat enim *Jehova* *Hebraeis* in servitutem apud *Hebraeos* reductis, ne durius tractarentur *Levit. XXV. 39-42*. Unde servitus viri *Hebraei* apud *Hebraeos* longe distabat a servitute mancipiorum apud alios populos, imo & alienigenarum apud *Hebraeos*, ita ut collocatae ad tempus operae, quam servituti similior videtur. Durior erat *alienigenarum* conditio. Exemplo sit *Levit. XXV. 45. 46*. Accedebat odium & contemptus gentium, quo animi *Hebraeorum* obsessi erant. Placuit ergo *Legislatori* *servorum* & *ancillarum* sollicitam habere curam, tum ne quies *sabbathi* illis ab eius cultu liberis turbaretur, tum ut fastus *Israelitarum* supprimeretur, qui tacite per hanc additiunculam monebantur, nihil eos & origine & natura a servis & ancillis suis differre: nullam iis in propriis qualitatibus pra

præ aliis gentibus competere prerogativam:
 Deum in cultu suo non esse *προσωπολήπιον*:
 quin in diebus Messia discrimen omne in-
 ter *servos & liberos*, inter Judæos & gentes
 prorsus sublatum iri, omnesque ejusdem
 quietis animarum participes futuros. Ad-
 monitio hæc eo opportunior, quia ne sic
 quidem invincibilis Judæorum fastus reprimi
 potuit, qui sibi solis Sabbathum duntaxat,
 exclusis gentibus, datum gloriabantur:
 gentesque nimis abjectas censebant, quam
 ut in ejusdem secum honoris communi-
 onem venire possent. Unde alliverunt suam
 glossam & distinctionem præter mentem
 Legislatoris. Sic legitur in *Schilchan Aruch*
Josephi Caro Tit. Sabbath. c. 304: אדם מצווה
 על שביתת עבדו שמל וטבל לשם עבדותו קבל
 עליו מצות הטהרות בעבד אבל אם לא מל
 וטבל אלא קבל עליו שבע מצות בני נח הרי
 הוא כגור חושב ומותר לעשות מלאכה בשבת
 i. *Imperatum est unicuique (Israelitæ) ut servus*
ejus Sabbathum observet, qui scilicet circumcissus
fuerit, & baptizatus nomine servi, & in se re-
ceperit præcepta, quæ ex more ad servos attine-
bant. At vero si non fuerit circumcissus & bap-
tizatus, sed in se receperit septem Noachidarum
præcepta, et quoniam erat planeus profelytus do-
micii, fas erat opus facere in Sabbatho. Plu-
ra in hanc rem notavit Seldenus de Jure nat.

lib. III. c. 9. 10 & præcipue 12. *Hottingerius*
Primit. Heid. V. c. 1. p. 304. Ainsworth in
Exod, XX. 10.

XIX. Quæ sequitur ratio, non una de
 caussa addita esse videtur. *Primo* enim ita
 cum præcedentibus verbis connexa est, ut
 mandatum de non excludendo servo & an-
 cilla in quiete Sabbathi egregie confirmet,
 Ecquid enim fortius obstringere Israelitas
 poterat, ne quid inclementius in servos
 alienigenas statuunt, quam pristinae miser-
 rimæ conditionis in ergastulo Ægyptiaco
 memoria? Nec tamen in hac ratione sola
 subsistendum esse suadet conclusio: *idcirco*
præcepit tibi Jehova Deus tuus, ut observes diem
ipsam Sabbathi. Quæ verba evidenter do-
 cent, rationem a liberatione ex Ægypto pe-
 titam ad totum præceptum spectare. *Cleri-*
co vero ex hac additione opinanti *potissimum*
Sabbathi finem quietem servorum fuisse nemo fa-
 cile accedet, qui accurate contulerit loca,
 in quibus finis longe nobilior & Legislato-
 ri dignior & interiori fœderis Sinaitici es-
 sentia convenientior a Spiritu Sancto de-
 claratur *Exod. XX. 11. XXXI. 13. s. Ez. XX:*
12. &c. Rationes sane, quibus evincere
 conatur, *Memoriam liberationis ex Ægypto* in
 nostro additamento non spectari, exiguum
 pondus habent. Nam quod non putet cre-
 dibile, *Mosen* rationem addidisse, pro lu-
 bitu, *cujus ipse Legislator non meminisset,*
 per

per eam, quam probamus, hypothesin con-
cidit. Addit: Paschale quidem festum in
memoriam liberationis ex Ægypto celebra-
tum, eodem quotennis, quo exiverant Is-
raëlitzæ, die; sed festum septimo quoque
die rediens nihil habere, quod ad memo-
riam Ægyptiacæ liberationis pertineret. Sed
tota hæc ratiocinatio non elevat literam præ-
cepti: *Et memineris, Jehovam Deum tuum
eduxisse te inde manu forti & brachio extento.*
Præterea, festum septimo quoque die re-
diens, quam maxime ad liberationem Æ-
gyptiacam spectare, ex altera ratione, quam
damus, hujus additamenti patefiet. Nam
secundo a Magistris Judæorum traditum est,
exitum Israelis ex Ægypto in vesperam Sab-
bathi incidisse. Quæ sane traditio & anti-
quitate & verisimilitudine non exigua
commendatur. Verba *Seder Olam Rabba*
Chronici antiquissimi & æstumatissimi inter
Judæos cap. V. huc spectantia hæc sunt:
בִּיד יוֹם בּוֹ שֶׁחֲטוּ יִשְׂרָאֵל אֶת פְּסַחֵיהֶן בְּמִצְרַיִם
וְיוֹם חֲמִישִׁי הָיָה וּבוֹ בְּלֵילָה לָקוּ הַבְּכוֹרוֹת מִמַּחֲרַת
הַפֶּסַח עֶרֶב שַׁבָּת הָיָה נִסְעוּ מִרַעְמֶסֶס:

*Quarto decimo die Israëlitæ agnos suos paschales
in Ægypto immolarunt, qui hebdomadis dies
quintus erat. Hac ipsa nocte percussi sunt pri-
mogeniti. A crastino Paschatis, (die Vene-
ris) qui est vespera Sabbathi, profecti sunt de
Rameseso. Verba hæc citantur in Gemara Ba-*

bylonica Cod. Sabbath cap. 9. Nec sine specie hæc ita statui Cl. *Meierus* doctissimis in Seder Olam annotat. p. 310. docet. Sunt quoque in eadem hæresi *Spencerus* de leg. Ebr. lib. I. c. 4. Sect. 8. *Ainsworthus* in Deut. V. & alii. Verisimile igitur est, Dominum septimam diem quieti religiosæ destinasse, ut simul quietis Dei in septimo die creationis, & quietis Israelitarum a servili opere in Ægypto memoria jugiter conservaretur. Accedebat tertio, quod illa ratio hujus præcepti quæ in Exodo legitur, generalior esset, cui aliam specialiolem magis ad populum Israeliticum spectantem subjungere Legislatori placuit, ut eo fortius obstringeretur. Hanc quoque causam Rabbini agnovere. Consulatur *Maimonides* More Nevoch. lib. II. c. 31. Clare *Menasse ben Israel*. cit. quæst. 37: Adeo ut in Exodo exponatur, quare Sabbatho magis, quam alio die quiescendum sit. In Deuteronomio autem *Moses* divina revelatione rationem dat, cur Israelitis potius, quam aliis gentibus, Sabbathi cultus commendatus sit. Hæc quoque ratio quarto subesse potuit, quod opus creationis & redemptionis ex Ægypto in mystico sensu apprime convenirent, eandemque quietem & redemptionem spiritualem adumbrarent, cujus ipsum Sabbathum typus erat. Denique sapientissime videtur institutum, ut eadem ratio, quæ in fronte prioris tabulæ erat

erat, in ejus fine repeteretur. Ita enim indicatur, illam rationem non ad primum præceptum duntaxat, sed ad singula totius prioris tabulæ præcepta pertinere. Valde enim verosimile apparet, singulas Legis tabulas habuisse rationes sibi privas, quibus confirmabantur & obedientiæ persuaderi poterat. Sicut igitur promissio de *vita longæva & felici* in terra Canaan, qua primum secundæ tabulæ præceptum stabilitur, ad singula ejus tabulæ præcepta pertinet, ita inculcatio beneficii *liberationis ex servitut. Ægyptiaca*, quæ non tantum corporalis, sed etiam spiritualis erat, illis præceptis pondus addebat; quibus modus colendi Deum Redemptorem ex tanta miseria præscribatur.

XX. Non prætermittenda est formula, qua præceptum quartum finit: *Idcirco præcepit tibi Jehova Deus tuus, ut observes diem Sabbathi.* Viderentur hæc verba nostræ hypothesei universari & ad sumentum Mosis esse, nisi & in præcepto secundo & tertio Legislator de Jehova, Deo Israël in tertia persona locutus fuisset: quod iterum ad diversitatem personarum SS. Trinitatis spectat. Quare gratis Cl. Clericus tanquam ex tripode pronuntiat: *Hæc non sunt a Deo pronunciata, ut liquet eum ex Exod. XX. tum e re ipsa: Attingio videtur, hanc formulam in præcepto quarto & quinto, quibus solis addita est, complecti*

illa, quæ alibi quoque de cultu Sabbathi & parentum honore exfertius præscripta erant. Ita censet, quia Mosis, non ipsius Legislatoris, verba esse putat. Sed eodem jure etiam aliis præceptis addi potuisset. *Talkut* fol. 73. col. 2. observat: תניא עשר מצוות נצטוו ישראל במרה שבע שקבלו עליהן בני נח והוסיפו עליהן דינין דכתיב אשר צוך יי' אלוהיך אמר רב יהודה אמר רב: כאשר צוך במרה: *i. Vetus traditio habet: præcepta decem acceperunt Israelitæ in Mara. Nempe septa illa, quæ receperant Noachide. Illis adjecta fuere formula judiciorum. Scriptum enim: Ibi imposuit ei statutum & judicium. Adjecta insuper præcepta de colendo Sabbatho & colendis parentibus, quia scriptum (Deut. 5: 16.) quod præcepit tibi Jehova Deus tuus. Quod Raf Jehuda, dictus Raf, explicat de præcepto latis in Mara. Confer quæ habet Seldenus de J. N. & G lib. III. c. 9. Quicquid sit, id certum est, quod Israelitis horum duorum præceptorum præ aliis habenda fuerit ratio, utpote in quibus secundum §. XIV. radix universæ legis tum Ceremonialis tum Forensis continebatur.*

XXI. In quinto præcepto præter repetitam formulam, qua finit præceptum quartum, inserta sunt verba: *Et ut bene tibi sit. Abenezra* aliique non tantum bonum animæ sed & mercedem futuri seculi promitti putant. Et Christiani quidam interpretes ad-
sen-

sentiuntur, quia pietas ad omnia est utilis.
 1. Tim. IV. 8. Facile id largimur quoad
 sensum mysticum, quatenus terra Canaan
 pignus cœlestis hæreditatis erat. Ne au-
 tem in sensu literali ita capiamus, obstant,
 quæ immediate sequuntur: *Ut bene tibi sit in
 terra, quam Jehova, Deus tuus dat tibi. Ni-
 hil clarius & simplicius, quam respici ad fe-
 licitatem in Canaane possidendam. In Exo-
 do generatim tantum longævitas promissa
 erat. Sed quid prodest diu vivere, nisi be-
 ne vivas? Nolim tamen hoc bene esse ad me-
 ram felicitatem corporalem restringi. Non
 poterat Israeli bene esse, nisi & Deo propitio
 & gratiosa ejus præsentia & omnibus præ-
 rogativis ex V. T. fluentibus frueretur, quæ
 hunc populum longe supra cœteras mundi
 nationes evehebant.*

XXII. Quoad nexum, qui per copu-
 lam quinque ultima præcepta in Deutero-
 nomio coniungit, sapiunt palato nostro, quæ
 Cel. Altingius notavit: *Significatum voluit,
 quod Abarbanel dicit, nexum præceptorum,
 quod non minus unum atque alterum sit observan-
 dum, eoque obsequium præstitisse negandus sit,
 qui unum quidem aut plura etiam, sed non
 omnia præstitit. Quod ipsum legitur Jac. II. 10.
 Etenim ab uno Legislatore procedit tota, ejusque
 auctoritas ubique eadem est, quam qui vilipen-
 dit in uno, estimat in nullo ... Connexio etiam
 facta*

facta videri potest, quia in tribus primis nulla est mentio objecti, quod indicatur in duobus ultimis, Proximus tuus: Qui est non tantum frater & amicus, sed etiam inimicus. Nam Exod. XI. 2. Aegyptii eo nomine veniunt, qui fuerunt inimici saltem animo. Quod si quis putet nimis angustum, quia quis contra semetipsum peccare queat, ad quoque valet 9 & 10 praeceptis, ubi Proximi vox expressa est. Etenim valet ibi argumentatio a minore ad majus, juxta regulam, Diliges proximum tuum sicut te ipsum Lev. XIX. 18

XXIII. In praecepto nono Testimonium נשׁו vanum Deuteronomii exemplar prohibet, ut discas sub testimonio שקר falso comprehendi non tantum aperta mendacia & calumnias, sed etiam subtiliora peccata, obtreptiones, mendacia jocosa, & praecipue sinistras interpretationes, quales illae erant, quibus Judaei Christum & Apostolos primosque Christianos onerarunt. Conferri hic potest usus vocis נשׁו Exod. XXIII. 1. Substituitur vox הנם Prov. XXIV. 28: ne sis ער הנם bestis frustraneus de proximo tuo aut apud proximum tuum. Quo sensu & omnia vaniloquia includuntur. Praesertim cum נשׁו praecise designet, τὸ ἀνεργον, quod fructu caret, uti evicit A. Goussetus in radice נשׁו Fortassis & arcanum nexum hujus praecepti cum praecepto tertio indicare Legislator voluit. Nam sicut praecepto tertio abusus linguae contra Deum per vanum usum nominis ejus pro-

prohibetur, ita nonum abusu linguæ contra
proximum per *vanum testimonium* interdicit.
Uterque abusus interdum junctus est,
quando per doctrinam erroneam vanitati
litatur. Quo referendum est illud Pf. XII. 3.
Vanum loquuntur quisque cum proximo suo.

XXIV. Ultimo præcepto loco תהמר in
posteriori ejus segmento substitutum est
תתאן. Quidam has voces pro mere sy-
nonymis habent, secuti יד'ו, qui utrobi-
que habent: Ουκ ἐπιθυμῆσεις. His accede-
re post *Grotium* & alios placuit *Celeb. Vi-
tringæ* *Obs. Sacr. lib. III. c. 7.* *Chaldaeus* poste-
rius vertit ולא תרוג, quod eodem redit.
Nam תרוג pro utraque voce Hebræa Para-
phrastæ adhibent. V. *Buxtorfium* in lex. Ple-
rique existimant vocem, תאן cupiditatem
primam imperfectam, תמר autem cupidi-
tatem perfectam cum pleno voluntatis as-
sensu conjunctam designare. Præcipue
hoc avide arripiunt Lutherani, qui huic fun-
damento plerumque superstruunt sectionem
decimi præcepti in duo, quorum priori con-
cupiscentiam actualem, posteriori autem
concupiscentiam originalem prohiberi vo-
lunt. Adiri possunt *Cl. Gerhardus* loc.
Theol. Tom. III. de lege Dei §. 46. *Chemni-
tius* loc. de lege p. 108. col. 2. *Fesselius* *Ad-
vers. Sacr. lib. VIII. c. 5.* Nec abluunt e-
nostris, quamvis consequentiam negent,
Al.

Altingius & alii. Quibus tamen ad-
 surgere nequimus. Suponunt enim signi-
 ficatum *לִשְׂמֵחָה* esse debiliorem *לִשְׂמֵחָה*,
 cum tamen præcise contrarium colligendum
 sit ex forma Hitpahel in *לִשְׂמֵחָה*; illa
 enim significationem intendit & vehemen-
 tiorem appetitum designat. Nos censemus,
 voluisse Legislatorem in posterioribus tabu-
 lis *objecta concupiscentiæ* pravæ diligentius se-
 cernere. *Objecta* hæc ad duas classes referri
 possunt. Ad priorem classem pertinet ob-
 jectum tale, quod semper peccaminosum,
 neque unquam honeste desiderari multo mi-
 nus possideri potest, *uxor proximi*, adeoque
 simpliciter prohibetur ejus desiderium qua-
 lecunque: *non concupisces*. Ad posteriorem
 classem *objecta* illa sunt referenda, quæ
 aliquando & quibusdam præsuppositis abs-
 que crimine desiderari possent, *domus, ager,*
servus, ancilla & sic porro. Hæc enim, si
 proximus consentiat, & aut justo pretio
 vendat, aut alia ratione in lege non inter-
 dicta possessionem liberam relinquat, tran-
 sire in alius potestatem poterant. Appetitus
 ergo harum facultatum non simpliciter pro-
 hibetur, sed tantum cavetur, ne ultra li-
 mites procedat, ne sit nimius, & contra
 voluntatem proximi: *non desiderabis impen-
 sius domum proximi tui, & sic porro.*

XXV. *Ordinis autem objectorum mutati,*
 quænam sit ratio, non ita liquidum est. In

Exodo quibusdam videtur Legislatorem
seriem acquirendi observasse: primo *domus*,
ubi habitat, deinde *uxor* vitæ socia in do-
mum ducenda, tertio *famulitium*, qui opus
facerent ad victum parandum, quarto *ju-
menta* operi idonea, denique alia minoris
momenti. Cui ordini aptari solent illa *He-
siodi* op. & D. lib. II.

Οικον μὲν πρώτησα, γυναῖκα τε, βῆν τ' ἀ-
ροτῆρα.

κλητὴν ἔγαμετὴν, ἥτις καὶ βοσὶν ἐποίησεν.


Χρήματα δ' εἰν οἴκῳ πάντ' ἀρμενα ποιήσασθαι. ἰ.

Domum quidem primum, *uxoremque*, *bovem-*
que aratorem; *famulam non nuptam*, que ἔ-
boves sequatur, *utensilia vero domi omnia apta fa-*
cito. Videri tamen hæc magis subtilia quam
solida cuidam possunt. *Piscator* in Exodo
domum priorem locum fortiri putat, tan-
quam subjectum generale reliquorum exem-
plorum. At Deut. 5. primo loco poni exem-
plum *uxoris*, tanquam pertinens ad præceptum
septimum: cui subicitur *domus* & reliqua,
quæ omnia pertinent ad præceptum octa-
vum. Magis forte ad rem & pro dignitate
Legislatoris tria hic distinguere licet obje-
ctorum, in quæ prava concupiscentia fer-
tur genera. Sic concupiscentiâ *domus* ad ἀλα-
ζονεῖαν τῆ βίης, *uxoris* ad ἐπιθυμίαν τῆς σαρκός,

αδς, ceterarum facultatum ad επιθυμίαν τῶν
 οφθαλμῶν spectaret. *Domus* enim quan-
 doque includit splendorem familiæ. Sic
 2. Sam. VII. 11. *Annuntiat tibi Dominus, quod*
domum tibi faciet Dominus. Nihil tamen hic
 definimus. In Deuteronomio ordinis ra-
 tio apertior est, quia delictum gravius a
 reliquis secernitur, uti §. præcedenti indi-
 catum. Quare melius sibi consuluissent,
 qui septem præcepta ad posteriorem tabu-
 lam referunt, si sectionem decimi præcepti
 non secundum Exodum, sed Deuteronomi-
 um instituissent. Ita hac quoque in parte
 vestigiis D. *Augustini* institissent, cui divul-
 sio præcepti decimi potissimum debetur,
 quique ex interdicto *concupiscentiæ uxoris*
 præceptum nonum facit, dum reliqua cum
Domo proximi connedenda esse docet. Eun-
 dem ordinem tanquam meliorem *Cornelius a*
Lapide ad h. l. commendat.

XXVI. Denique numerus objecto-
 rum concupiscentiæ pravæ in Deuterono-
 mio accessione *agri* auctus est. Qui a Mo-
 sis manu eam repetunt, ii hanc causam ad-
 dunt, quod cum Deus promulgaret Deca-
 logum, in nullius possessione esset *AGER*:
 nam vagabantur in deserto. Sed repetente
 Mose duæ & media tribus agros habebant,
 regna Sihonis & Og inter illas distributa.
 Invita sane Minerva hæc dicuntur. Ex eo-
 dem enim fundamento Legislator & *domos*
 omit.

omittere potuisset. Melius hæc additio ex
ratione Oeconomix V. T. explicabitur. Con-
stat enim, inter omnes possessiones Israeli-
tarum nihil sanctius *aguis fuisse*, utpote, qui
per sortem, quam occulta quadam Dei pro-
videntia moderabatur, distribuendi, nec
unquam alienandi, & si casu alienati fue-
rint, illico redimendi erant, ea fine, ut eo
magis tribuum & familiarum permixtio im-
pediretur, & genealogiarum successio con-
servaretur. Hoc enim pertinebat ad *πληρο-
φοριαν πίστεως* in manifestatione Mesfix, quan-
do evidenter constare poterat, illum ex ea
tribu & familia oriundum esse, ex qua ori-
tutum Prophetæ prædixerant. Tantum.



V.

BREVIS REFUTATIO

Narrationis de Ejectione

JOHANNIS ARNDII,

Quam

Præfationi Editionis Londinensis librorum
ejus de Vero Christianismo

inferuit

ANTONIUS WILHELMUS BOEMIUS.

§. I.



*J*ohannis Arndii Theologi Celeber-
rimi de Vero Christianismo Libros,
rectum Evangelii sensum &
non infucatam pietatem spiran-
tes

tes, ante hos novem annos, in latinum sermonem pridem ab alio conversos, Londini denuo prælo subjecit Vir Rev. *Antonius Wilhelmus Bæme*, Regiæ Celsitudinis Georgii, Daniæ Principis nuper a Sacris, nunc cætus Augustanæ Confessionis invariatae, qui Londini est, Pastor. Factum profecto egregie, ne insignis libri hujus fructu carerent divisi a nobis orbe toto Britanni. Hoc nomine sane omnium bonorum gratiam iniit piissimi scripti editor. Sed nescimus, quibus testimoniis nixus fuerit Bæmius, cum in prætatione, breve vitæ Arndianæ curriculum persequens, postquam de studiis ejus Academicis & vocatione ad munus Ecclesiasticum quædam narrasset, subjunxerit hæc verba: *Cito tamen varii motus contra illum concitari ceperunt ab aliis cujusdam partis (quæ tunc ibi plus valebat) hominibus rigidioribus. Quorum sane conatibus ac machinis (ajunt Prædestinationis controversiam agitatam fuisse & universalem gratiam contra adversæ partis patronos ab Arndio assertam) in tantas tandem angustias Arndius redigebatur, ut patrio solo ac Ecclesia, cui per 7. annos servierat, pulsus, cum familia alio migrare cogeretur.*

§. 2. Quantum fidei huic Bœmianæ narrationi tribuendum sit, vel ipsa vox *ajunt*, prodit; nempe hæsitanter, sine teste, & veri conscientia hæc ab editore prolata

lata esse. In quam plurimis Evangelico-
rum scriptis, & vernaculis libri hujus edi-
tionibus, iisque præfixa Arndii Vita accu-
santur equidem Reformati (quos, licet a quo-
quam hominum nominari detrectent, Calvi-
nianos vocant) nimix erga Arndium seve-
ritatis, (a) quem eo, quod placitis ipsorum
subscribere noluerit, patria exesse jusserint.
(b) Sed nemo hominum hætenus, quod
sciamus, in publicum prodiit, qui hujus
exilii causam in *prædestinationis* dogma con-
jicere ausus sit, cui Arndius adstipulari nolue-
rit. Non ægre itaque feret Cl. Bœmius,
quod publice ipsum heic compellemus, ut
aut narrationis hujus testes in apricum pro-
ferat, eosque qui talia *aiunt*, nominet, aut
hæc destinato ipsum consilio ad invidiam
Ecclesiæ Reformatæ apud Britannos crean-
dam effinxisse, audiat. Quam suspicionem
auget, quod Ecclesiam Anglicanam in ab-
strusis de prædestinatione & gratia universali
controversiis a reliqua Ecclesia Reformata
ipsaque etiam Lutheri doctrina, post Ar-
chiepiscopi Laudi tempora secessionem ma-
gna ex parte fecisse, notum sit.

§. 3. Ut tamen ipse Bœmius causam
depositionis Arndianæ, (quam desertionem
potius dici debere ex sequentibus patebit)
si forte nesciat, accurate norit; primum
liquido ei demonstrabimus, doctrinam de
gratia universali, quam tuitus est Arndius, illi

minime nocuisse; deinde, quomodo res cum
ejus dimissione comparata fuerit, paucis do-
cebimus. Non dubitantes, quin Bœmius
pro ea, quam præ se fert animi ingenuitate,
errorem post hac sit agniturus.

§. 4. Primum itaque, ne putet Bœmius,
Arndii tempore *Prædeterminationis controversiam*
agitatam, & universalem gratiam contra ad-
verse partis patronos ab Arndio assertam fuisse,
meditandam ei proponimus Theologorum
Anhaltinorum de hoc articulo confesio-
nem anno 1589. adeoque integro ante Arn-
dii dimissionem, quæ 1590 contigit, anno,
Germanico sermone editam in libro, cui ti-
tulus *Bekänntniß der Anhaltischen Theolo-*
gen von den fürnehmsten Haupt- & Artickeln der
Christlichen Lehre. Hujus scripti articulus
XII^{mus}, qui inscribitur *de æterna Electione vel*
Providentia Dei pag. 75. & seqq. ita se habet:
Quamvis minime negemus, Deum omnia, etiam
futura, ante nosse, omniaque pro libera divina
voluntate sua prævidere & curare, secundum
quam Divinam providentiam omnia reguntur,
bonum adjuvatur, malo autem, ne pro Diabolo
mundique lubitu indefinenter seviat furatque, per
ineffabilem sapientiam. limites finesque ponuntur
& designantur, tandemque secundum justitiam
& æquitatem omnia judicantur; quæ omnia nos
in timore Dei, omni debita reverentia agnoscimus,
& pie contra Epicuræorum Stoicorumve sectas con-
fitemur; Quando tamen de Prævisione aut Electione

Ecclesie ad vitam salutemque eternam cogitamus aut loquimur, illud tantum consilium decretumque Dei spectamus, quod de restauratione & redemptione miseri lapsique generis humani initum, & in predicatione sancti Evangelii manifestatum est, neque aliam causam vel nostre justificationis coram DEO vel nostre electionis querimus, neque de electione ex ratione, nec ex lege, sed tantum ex Evangelio judicamus, numerumque omnium hominum, qui salvantur, quantum ad nos spectat, non aliter, nisi a fine, nempe fide in Christum, id est vera & seria ad mediatorem conversione judicari & supputari debere existimamus. Satis enim certoque persuasi sumus, quantumvis de eo disputetur, anxias conscientias, cum revera anguntur & luctantur, ne vel in paganam securitatem & hypocrisis, vel in horrendam desperationem delabantur, necessario ad hoc tanquam firmam & invictam arcem refugere debere, nempe de voluntate Dei tantum ex clare revelato verbo esse judicandum, in quo docetur utramque predicationem conversionis & gratia omnes omnino homines spectare, neque in Deo respectum personarum, nec contrarias voluntates reperiri, tandemque hoc Dei aeternum seriumque mandatum esse, quod mutari nequit, ut nos homines filium audiamus, & promissioni fidem habeamus.

Quapropter & in hoc negotio hac simplex iustaque nostra est sententia, in qua missis flexuosis questionibus & altercationibus, pie & con-

stanter permanemus: Deum, cum protoplastos post lapsum vel plane perdere, vel cum malis spiritibus secundum rigorem summae justitiae suae in aeternum a se rejicere, eorumque loco pro infinita & immensa potentia sua novos sibi servos creare potuisset; ex abundantia infinitae suae misericordiae tamen misero hominum generi lapsa, adque imaginem suam primitus creato pepercisse, & ex eo secundum bene placitum suum sapiensque clementissima voluntatis suae consilium, per & propter Christum ut mediatorem, in quo & nos tanquam in capite ante jacta mundi fundamenta dilexit, immutabili decreto omnes singulosque homines elegisse, qui ad mediatorem Jesum Christum vera fide confugiunt, in eaque ad finem usque vite suae constanter perseverant; & contra omnes singulosque homines aeternum rejecisse & reprobasse, qui hunc mediatorem & pacis arbitrum, quem Deus humano generi proposuit, pertinaciter impoenitentia contemnuerunt.

Causa itaque electionis, aut Praedestinationis ad vitam aeternam non in nobis, sed in Deo, nempe in gratuita ejus beneplacito quaerenda est, quod in verbo ejus claro nobis revelatum est, & S. Augustinus misericordissimam Dei voluntatem vocat; uti e contrario, damnationis causa procul dubio peccatum est in hominibus, qui aut praedicationem Evangelii non audiunt nec accipiunt, aut ante, quam hoc mundo emigrent, fidem amittunt aut a se repellunt.

Sicuti enim haec sententia vera est: Deus non

non est peccati causa, neque illud vult; ita Dei promissio fidem postulat, non equidem propter dignitatem fidei, tanquam virtutem, sed quod Mediator hac sola fide apprehendatur, & ejusque meritum homini approprietur. Et quamvis fides solum Dei sit donum & Spiritus S. opus, Evangelii tamen prædicatio, tanquam medium ordinarium a Deo, ut instrumentum ad fidem acquirendam instituta est, attestantibus id sequentibus S. Scripturæ dictis. Quicumque audiverit a Patre & didicerit, is ad me venit Job. 6. item. Fides itaque ex prædicatione, prædicatio autem est per verbum Dei. Rom. 10.

Per id verbum enim Deus hominem trahit, quique ei credunt, eos certo propter mediatorem ex mera gratia recipit, quemadmodum e contrario frivolos ejus contemtores, quique in impenitentia moriuntur, procul dubio haud aliam ob causam, quam ob hujus mediatoris contemptum eterno supplicio adjudicat & condemnat uti & sequentia Scripturæ dicta testantur Job. 3. Qui credit in Filium non judicatur. Qui vero non credit jam judicatus est, non enim credit in nomen unigeniti Filii Dei. Huc spectat & acerba Domini querela per Prophetam Jesaiam pronunciata: Totum diem expandi manus meas ad populum refractarium & reluctansem. Ex quo testimonio Paulus ipse concludit, Judæorum obstinationem sibi causam condemnationis fuisse. Neque mandatum habe-

mus severius eo, quod aeternus Pater de Filio suo dedit. Hunc audietis Matth. 17. Qui hunc Prophetam non audiet, ab eo repositam Deut. 18.

Sicuti & e contrario nulla dulcior esse potest, consolatio, nec certius electorum negotiorum, quam quod Spiritus S. ipse eos beatos praedicet & beatos promittat, qui in Domino i. e. in vera cognitione & invocatione Mediatoris Jesu Christi moriuntur Apoc. 14. Beati enim omnes qui ad eum confugiunt Ps. 2. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvabitur Rom. 10.

Quamvis itaque Deus pro immensa sapientia sua, numerum tam Electorum quam damnatorum praesciat & norit, de utrisque tamen non aliter, nisi ex Dei verbo nobis revelato judicandum est, nec quenquam ex eo quod Deus ita praeviderit, securitatis, malitiae aut peccatorum suorum exculpationem querere, aut Deum incusare decet ac si is in culpa esset quod non creditur aut reproberetur; cum & hoc dictum contrarium doceat: Hos. 13. Perditio tua a te est o Israel. Salus autem tua in me unice sita est.

Neque haec praevisio aut electio mere ad numerum, de quo apud Deum equidem nullum est dubium, sed praecipue ad consilium liberi Decreti eius referenda est, illius, inquam, Decreti, quod equidem aeternum & immutabile, nobis autem in verbo revelatum est, Deum nempe hoc unico modo,

modo, homines post lapsum sine Προσωποληψια
in gratiam recipere velle, tantum per & propter
mediatorem, siquidem ipsum vera fide apprehen-
dant.

Hic modus uti in Evangelio revelatus &
immutabilis est, neque ulla diaboli vi aut aju-
tia, multo minus periculo aliquo utut gravissimo,
apud Christianos mutari aut penitus annihilari
potest: ita & quantum paternam gratiosamque
Dei voluntatem attinet, neminem plane hominem
excludit, quia mediator una cum communi ho-
mii generis humani natura, & omnium no-
strum communem salutem acquirendam,
in se suscepit, neque eo venit, ut tantum
aliquos, sed totum genus hominum cor-
ruptum servaret.

Inde etiam est, quod promissionem gratiae,
que omnes singulosque respicit homines, etiam
toties in verbo clarissime repetierit, & praeterea
eam non tantum sacratissimo jurejurando, sed &
baptismi sacramento, ad quod omnes gentes in-
vitantur & vocantur, tanquam communi sigillo
obsignare ac confirmare dignatus sit. Immo adeo
omnium hominum salutem esurit & sitit, ut ad
resipiscentiam & conversionem minime aliquos
tantum, sed omnes, omnes inquam homines, ab
eo, quo Ecclesiam sibi colligere cepit tempore, ad
finem usque mundi, serio mandato obstringat;
circa quod nemini unquam licentiam, isti man-
dato obediendi dedit, nec dabit unquam, donec pra-
dicatio Evangelii in hoc mundo audietur & do-

Cebitur. 2. Tim. 2. Firmum Dei fundamen-
tum stat, & hoc habet sigillum Dominus
novit suos, & recedat ab injustitia qui no-
men Christi nominat. (Laudantur porro di-
cta Job. I: 12. III: 16. VI: 40. Matth. XVII: 14.
I. Tim. II: 4. 2. Petr. III: 9. quæ ne copiosus
sim, annotasse sufficiat:) item Rom. VIII.
Quos Deus prævidit, eos & prædestinavit
&c: Quos autem prædestinavit eos & vo-
cavit i. e. qui prædicationem Evangelii obstinate
contemnit, is neque prævisus, nec ex prædestina-
tis est, nam Evangelii vocatio veram respiscen-
tiam aut conversionem a peccatis ad Deum postu-
lat. Joh. X: 27. 28.

S. Bernardus hunc in modum scribit. Pro-
dit in lucem, ad miseri afflictique hominis sola-
rium, magnum consilium, quod ab æterno in æter-
ni Patris gremio occultum fuerat, nempe quod
Deus nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur
& vivat.

S. Augustinus in libro de Prædestinatione
& gratia cap. 15. Tom. 7. Quantum ad na-
turam Nebucadnezar & Pharaon ambo erant ho-
mines: Quod ad dignitatem, ambo reges erant.
Quod ad rem, ambo Dei populum in captivita-
te detinebant. Quod ad penam, ambo Dei
virga clementer admonebantur. Queret ali-
quis, quare in fine adeo sibi fuerint dissimiles?
Non aliam ob causam id factum, quam quod ille
cum Dei manum sibi incumbentem sentiret, ma-
gna sua peccata perpendens eorumque recorda-

tus, ad Deum ardentissimis se converterit suspiriis; hic vero volens contra Dei voluntatem, imper-
scrutabili amore & misericordia plenam, certa-
verit & pugnaverit, ei obluclatus fuerit & per-
tinaciter resistit.

Hæc est illorum Theologorum decla-
ratio, quos Bœmius rigidiores vocat, qui
suis conatibus & machinis ob assertam gra-
tiam universalem, si Dis placet, Arndium
patrio solo ejecerint. Quis sibi persuadeat
eos, qui tantopere pro gratia universali de-
certant, Arndio bellum indixisse, quod
cum iis fenserit? Non dubito, quicquid
est Anglorum, Lutheranorumve Docto-
rum, ipsumque adeo Bœmium lubenter
huic declarationi calculum suum addituros,
sibi que de consensu universali gratulatu-
ros esse, si omnes Reformati ita loquerentur,
ut hi Anhaltini. Nulla itaque vel minima
suspicionis causa est, Arndio, quod uni-
versalis gratiæ patronus esset, male voluisse
hos Theologos.

§. 5. Refutata igitur Bœmii relatione,
veram Arndianæ depositionis causam pau-
cis indicabimus. Johannes Georgius, Joa-
chimi Ernesti filius natus major Princeps
Anhaltinus anno 1589. principem Filiam
recens natam non adhibito exorcismi ritu
baptizari voluit; quæ res multis displicuit,
qui pro talibus caerimoniis παρανομαστικῶν
tanquam pro aris & focis dimicant. Sed

de hujus caerimoniae inanitate persuasus princeps, anno sequenti 1590 publico mandato eum ritum in omnibus suae ditionis Ecclesiis abolendum decrevit. Nihil in aliis dogmatibus aut ritibus tum temporis immutatum est. Solus exorcismus principis auctoritate exulare jubebatur. Inter alios obsequium Principis mandato denegavit noster Arndius, cumque nullis persuasionibus induci posset ad sanio-rem mentem, additae sunt minae, ni mandatis pareret, officio exuendum esse. Sed (c) immotus Arndius in sententia perstitit, suaeque manu sequentem declarationem, obsequii loco, Principi reddi curavit

Quoniam conscientia mea, in hoc vincula est, quod Orthodoxi Patres ante 1300 annos Exorcismum baptismo sacro adjunxerint, adeoque universalis caerimonia totius Orthodoxae Ecclesiae factus sit; quem & ex mente & vero sensu Scripturae acceperunt, & minime pro impia caerimonia haberi possit, neque ego quicquam in praesudicium Ecclesiae Dei & carissimorum Principis liberorum remittere possim, nec ulla ratio conscientiam meam tranquillare valeat; Hinc submisse humiliterque rogo, ne Serenissimus Princeps ac Dominus meus egre ferat, quod in hoc negotium consentire nequeam, adeoque clementissimo Principi Dominoque meo integrum

erit de me pro lubitu statuendi quomodocunque placuerit.

Job. Arnd Anhaltinus mppria

10. Septembr. 1590.

Hac declaratione facta, Principis jussu officio exutus, non vero patrio solo pulsus est. Patria equidem emigravit, sed a Quedlinburgensibus vocatus, ut in hac urbe Ecclesiae praeset. (d) Habet hæc Joh. Christ. Becmannus in Hist. Anhaltina Servestæ 1710. in fol. edita, quem videat qui volet Part. VI. Cap. 9. pag. 129. & seqq. & Part. VII. cap. 3. pag. 323.

§. 6. Ex his etiam liquet falli eos, qui, quod dogmatibus Calvinianorum subscribere nollet, ejectum Arndium clamant. Probe enim notandum est Religionem Reformatam anno demum 1596 in Anhaltinas terras a Johanne Georgio publice introductam, posteaquam is, præcedente anno cum Principe Palatina Simmerensi contractis nuptiis, animum, a Reformatorem sacris jam ante non alienum, publice declarasset. Neque in hac religionis mutatione cuiquam vis illata est, quin multi Pastores, qui de Reformatorem doctrina persuaderi non possent, in officio remanserint, nihilque iis interdictum, modo ne importunis rixis & calumniis pacem Ecclesiae turbarent. Integro igitur sexennio ante religionis immutationem emigrans Arndius, ob eam expelli non potuit. §. 7.


§. 7. Rectene vero, an secus fecerit Arndius quod in hoc ritu *αδισφώρω*, ut mitissime loquamur, debitum Principi obsequium denegaverit; tamque fervide pro eo, tanquam sacro aliquo Palladio conservando decertaverit; tantique eum fecerit, ut propterea cœtum sibi concreditum deserere non dubitaverit, prudentiores dispiciant. Futile sane est, quod de universali hujus ritus in Ecclesia Christiana receptione in causâ suâ defensionem affert. Constat enim inter omnes, *unctionis* in baptismo ritum, exorcismo longe antiquiorem & non minus universalem a Lutheranis tamen abolitum. Et quot non superstitiones in Ecclesiam universam invexerat seculorum infelicitum barbaries & tyrannis, quæ si eam ob causam, quod generaliter receptæ essent retineri debuissent, nihil fere in Pontificiorum cærimoniis innovandum fuisset. Sanius judicant plurimi inter hodiernos Lutheranos, qui religioni sibi non duxerunt, inanem hunc ritum in quam plurimis Germaniæ regionibus abolere, (quorum exemplum utinam reliqui sequerentur) sed vel Principum auctoritate vel Christiana libertate nixi, id sibi licere non dubitarunt. (e)

§. 8. Hæc cum ita se habeant, optandum maxime esset, ut imposterum aurei libri Arndiani editores, famæ auctoris parcerent, neque hanc ejus obstinationem (qua
ab

ab errore fragilitateque humana non immunem se fuisse probavit) inter virtutes ejus recenserent, aut martyrii coronam ei ea propter decernerent, neve putarent adhuc iram Dei eam ob causam toti Ecclesiæ Reformatæ incumbere, eamque ideo mereri, ut omnibus exosa reddatur. Quod si vel maxime humani quid passi fuissent Arndii adversarii (quis enim inficiabitur, Iliacos intra muros & extra peccari?) satiusne esset ejus memoriam Christiana sepelire *duris*, maxime cum Reformatis in promptu sint exempla numero & atrocitate longe majora, quibus viri eruditione pietateque Arndio non cedentes eadem a Lutheranis multoque graviora perpeffos docere possunt, quorum mutua exprobratio non alium tamen habere potest fructum, quam ut per eam fratrum animi magis magisque a se alienentur, exacerbentur, bellumque illud intestinum, nullos habiturum triumphos (nisi quem Pontificia inde reportabit factio) indies ingravescat. Alioquin ipse Arndius a Lutheranis plura, quam a Reformatis se perferre debuisse, haud raro in scriptis suis conqueritur. (f) In hoc numero editori suo Bæmio similis, qui meminisse poterit, quæ sibi ante hos 17 annos ab Orthodoxis fratribus suis *genuis* Lutheranis in comitatu Waldeccensi acciderint, cum ob fanatissimi suspicionem 19 Aprilis die anni 1700. terris Waldeccensibus exesse jubere-

tur

cur. (Vid. O. H. Beckers Apologie und
 Schutz-Schrift wider die Hist. Piet. Waldecc.
 editam 1712, 40. pag. 77. 79. ibidemque
 Beylag, pag. 81--84.) qualia a Reformatis,
 inter quos degit, hactenus non expertus
 est. Huius injuriæ cum oblitus sit Editor,
 Londinensis, non debuisset sane temporum
 oblivione sepulta in odium Reformatorum,
 post seculum denuo proferre, multo minus
 novas fabulæ comminisci circumstantias,
 quibus assertorum universalis gratiæ captaret
 benevolentiam, particularitas vero clam
 odiosos redderet. Qui propius rem exami-
 naverit non in hac illave earum, de quibus
 inter Protestantes quidem disceptatur, opi-
 nionum, quid veneni latere perspiciet,
 quod feros ac crudeles reddere possit earum
 sequaces, sed si quid utrinque in persecuen-
 dis aliis commissum est, id ambitioni, ava-
 ritia, invidia, aut metui mundano Docto-
 rum quorundam tribuet, qui non intelli-
 gunt dictum Christi, quo clarius proferri
 nihil potuit, *regnum suum non esse ex hoc
 mundo.*



* * * * *

Clarissimus hujus sectionis auctor putavit
 sibi rationes esse, cur nomen suum cela-
 ret. Ego autem scio, illi quo-
 que

que non defuisse graves rationes, quibus inductus hoc scriptum literis consignavit. Illi, ad quos haec res spectat, cogitent illud vulgatum, *qui, quae vult dicit, ea, quae non vult, audit*: Interea liceat nobis haec paucis observationibus illustrare.

(a) **H**Aec criminatio ad ipsos Pontificios penetravit, inter quos Hadr. Bailletus, in libro, cui titulum fecit, *des satyres personnelles, qui portent le titre d'ANTI*, impresso apud Parisios a. 1689. ita pag 271. scribit, *Le mystique Arndius, si fameux par ses Livres de devotion, & par les persecutions, que luy firent souffrir les Protestans & sur tout les Calvinistes, qui pretendoient le faire passer pour un Quietiste & un illumine. Quomodo huic relationi cum veritate conveniat, ex sequentibus patebit. Interea hic error, quod Arndtium Reformati ideo, quod inter Quietistas & illuminatos numerarent, persecuti fuerint, tam verus mihi videtur, quam lepidus ac perridiculus est ille, quem auctor Catalogi Bibliothecae Barberiniana, impressi Romae 1681. in F. commisit, ubi Auctores ordine alphabetico recensens ad literam W. refert Joh. Arnd WEILAND de vero Christianismo libros; quasi Weiland, qua voce Germani hominem e numero viventium sublatum, designant, fuerit verum Arndii cognomen, tum, cum illius libri editio prodiret, jam defuncti: Sed haec obiter.*

(b) Ad

(b) Ad hanc accusationem jam pridem respondit Christianus *Becmannus*, qui sub ficto Christophori *Massonii* nomine latere voluit, in *Anatom. univers. triumphantis* L. IV. c. 42. qu. 6. edit. terthae pag. 363. seqq.

(c) Quam benevolus autem, ac charitatis pleno animo fuerit erga eos, qui illum ritum lubenter è Christianorum cœtibus eliminari volebant, vel ex illis colliges verbis, quae in literis ejus ad Polyc. Lyserum datis in sylloge *Epist. p. 28.* leguntur. *Multis me beneficiis afficis edito insigni libello contra Exorcismo-mastigas, quo nomine magnas E. T. & debeo, & ago gratias, unice te orans ut, ne, si quid resibilaverint illae VIPERAE, patrocinium veritatis abjicias.*

(d) Haec egregie confirmantur vel ex ipsis illis literis *ovsalinæ*, quibus pastores *Quedlinburgenses* à se *Brunopolin* a. 1599, discedentem *Arndium* comitati sunt. *Reverendus vir*, ita scribunt, *D. Job. Arndt*, quum in vicinia nostra sub Principatu *Anhaltino* aliquot annos docuisset, & tandem Calvinismum emergentem ASPERNARETUR, & RESPVERET, à nobis constantiam ejus amantibus ACCERSITUS huc venit, & operam suam nostrae ecclesiae dedit. Immo id factum supplicibus literis cœtus *Quedlinburgensis* ad *D. Nicolai* ex summe venerandi Viri *Frid. Drn. Kettneri*, primarii nunc in illa urbe Theologi, *Historia ecclesiastica Quedlinburg*

burgenſi p. 222. diſco, Eoſſe autem tem-
 pore, quo illa in Anhaltinatu contigere,
 Mansfeldiam quoque vocatum literis Super-
 intendentiſ Islebienſiſ ipſemet teſtatur in
 epiſtola ad Seren. Abbatiffam Annam II. ſcri-
 pta, quae in ſupplementiſ citati libri p. 93.
 exſtat. Quae omnia ſatis arguunt eum non
 tam patrio ſolo atque eccleſia pulſum, quam
 dimiſſum, ut ei integrum eſſet ex oblatiſ
 ſtationibus, quam vellet, eligere, & quo
 lubitum erat, diſcedere. Ex eadem autem
 Epiſtola, ut & iis, quae ibidem p. 223. le-
 guntur, patet, primariis coetus ſuiſ membriſ
 ejuſque aedilibuſ non nimis acceptum, at-
 que gratum, quin graviter admodum apud
 Principem ab iis fuiſſe accuſatum. Notari
 velim ipſa ejuſ verba, quibuſ in adductiſ
 literiſ utitur; Und weil meine Pfarr-Kinder
 einen ſo böſen Brieff an Ew. Fürſt. Gnad. ge-
 ſchrieben / ſo will ich für ſie einen guten Brieff
 ſchreiben. Und weil ich ſie ja ſo hoch er-
 zürnet habe / ſo wollen ſie mir eſ um Chriſti
 willen verzeihen; Ut & illa, quae in epiſtola,
 qua literaſ teſtimoniales Collegarum ſuorum
 expetebat, quae ibidem pag. 97. exhibetur,
 leguntur; Si quid minus recte & CAVTE a
 me factitatum, illud propter Chriſtum condona-
 re humanae imbecillitati ne gravemini. Nun
 ex hiſ colligi queat, praeclarum hunc aliaſ
 virum, aſperioriſ atque moroſioriſ fuiſſe
 animi, & an vera ſint, quae ex ore ejuſ
 I. olim

olim vicini ac collegae apud Anhaltinos Zachariae Wennemeieri, se saepius audivisse de Arndtii *superbia, arrogantia, pertinaciaque* scribit Massonius c. l. p. 365. me perspicaciores arbitrentur. Ego malim, ut ipsius Arndtii verbis Christiano homine dignis, utar, *si quid ab eo minus recte atque caute factitatum fuit, id illius humanae imbecillitati haud gravatim condonare,* quam eorum, quae cum eo acta sunt, minus veras, ex incerto quodam rumore natas, & nisi fallimur, ad conflandum aliis tantum invidiam excogitatas, causas allegare.

Alias R. Boemio testimonium celeberrimi Kettneri, quem laudavimus, suspectum esse nullo modo potest, qui citato libro p. 222. primariam Arndtii e patria sua dimissionis causam memorat, quod *jussui principis sui Johannis Georgii morem gerere, atque Exorcismum omittere noluerit,* cui etiam calculum premit in hist. eccles. Brunswicensi de ea praeclare meritis Phil. Jul. Rhetmeyer, IV, c. 5. p. 318. Potest tamen illius altera adjungere ratio, quod imaginum in templis usum, nimis acriter sibi defendendum sumserit. Nolo haec confirmare auctoritate adducti Massonii, qui c. l. p. 364. scribit, Arndtium librum evulgasse, in quo *imagines atque idola, aliosque à Papa Romano introductos ritus magna verborum acerbitate tuitus fuerit.* Non licet de illo scripto iudicium ferre, cum nun-

nunquam viderim. Dabo tamen alium rei
 testem, omni exceptione majorem, ipsum
 Arndtium, qui in epistola ad Petrum *Pisca-*
tozem, Theologum Jenensem sub auspiciis
 anni 1607. exarata, testatur se *expatria eje-*
ctum, cum septem annos in illa inter varios *Cal-*
vinianorum insidias docuisset, & CONTRA
 ΕΥΡΩΠΑΙΩΝ ANHALTINAM SCRIPSIS-
 SET. Nescio autem, an hoc scriptum, cu-
 jus ipse heic meminit, fuerit diverlum ab
 eo, quod deinde prodire jussit, cum esset
 Quedlinburgi, sub titulo *Iconographiae*, sive
Bericht von denen Bildern / deren Ursprung
Gebrauch und Mißbrauch in dem A. und N.
Testament / Halberstadij. 1526. in 4to. In-
 ter ea loci vide heic genuinam rei,
 de qua disputamus, causam, quae si do-
 ctrina de praedestinatione & gratia univer-
 sali fuisset, quae quidem a nobis dissenti-
 entibus mirum in modum semper apta visa
 est, ad nos calumniis atque invidia one-
 randum, putas ne ab illo silentio fuisse pla-
 ne praetermissam? Illa epistola prima est,
 ex illis tribus, quas sub nomine *trifolii Arnd-*
tiani ante triennium circiter Wittebergae
 publici juris fecit Theologus aulicus Dres-
 densis Clar. Joh. Andr. Gleichius.

(e) Ea, quae hoc §. adducta sunt, ple-
 ne, atque ita, ut nullus pene animo ser-
 pulus relinquatur, evicta, si quisquam
 contemplari volet, eum nunc tantum able-

gamus ad Aegidii Hunnii, (quem sane nemo in rebus ecclesiasticis haud prorsus hospes in suspensionem Calvinismi adduxerit.) CXXVIII de *Exorcismo* theses Erfurti a. 1606 editas, ut & Georgii Polii, verbi divini ministri Lutherano Evangelici in ducatu Crosnenfi Silesiae, *repetitam consultationem de Exorcismo*, Coloniae Brandenburgicae a. 1692. sat grandi volumine jussu serenissimi Electoris Brandenburgici patrio sermone vulgatum. De quo quidem egregio libro forsit aliàs in hac Bibliotheca loquendi locus dabitur.

(f) Sane, si quid vel detrimenti vel praesidii alicui ecclesiae inde posset accedere, quo plus illa Arndtio, ejusve causae vel favit vel obstitit, nescio, utri ecclesiarum Protestantium in hac causa habeam gratulari. Quam facili negotio possem, si id nunc ageretur, ostendere nostrae confessionis homines de illo Viro, ut merebatur, non solum sensisse egregie, sed & ejus libros, praecipue, quos de vero Christianismo scripsit, & commendasse impense, eorumque versiones pariter, ac editiones frequenter curasse. Quis autem rerum tam ignarus est, qui nesciat, quam saepe, quam acerbe, quam indignis modis ille a SVIS fuerit habitus, quot ille dictis, cavillationibus, calumniis, abiis, & vivus & mortuus, fuerit impetitus, traductus, laceratus? Quam vilis annona est illo-

rum librorum, quibus ejus existimationem, quantum in illis erat, laedere, librosque pietatem haud tralatitiam spirantes hominum manibus ejicere, conati fuere. Non diu post editos de V.C. libros celeberrimus Pomeraniae Theologus Daniel *Cramerus*, literis ad Seren. Luneburgensium Ducem, in cujus ille ministerio vivebat, datis rerum ei novarum studium objecit. Joh. Tobiam *Majorem*, Theologum Jenensem rigidissimas in illos animadversiones conscripsisse testatur auctor apologiae Arndtianae editae Lipsiae a. 1706. G. Arnoldus in hist. H. & Eccl. L. XVII. c. 6. n. 8. Lucam Osiandrum, juniorem, Cancellarium Academiae Tubingensis, ejusque ecclesiae Praepositum accusat, tanquam primarium Joh. Arndtii calumniatorem, qui illum passim tanquam Papistam, Calvinistam, Flaccianum, Schwenckfeldianum Weigelianum descripserit, illumque variorum errorum, fraudum, atque haeresium accusaverit. Titulus libri est: Osiandri Theologisches Bedencken und treuherbige Erinnerung! welchergestalt J. A. wahres Christenthumb nach Anleitung des H. Worts Gottes und reinen evangelischen Lehre zu achten sey; Tubingen. 1625. 8. Georgius *Rosius*, qui Principis viduae Meclenburgicae a concionibus aulicis fuit, scripsit *amicam*, ut vocat, *et fraternam admonitionem super Controversiis de libris Arndtii de V.C. Rostochii*, 1626. 12. in qua quidem videri voluit

luit, media inter fautores atque adversarios
 Arndtii incessisse via, ita tamen, ut in hunc
 animo minus fuisse aequo, sit cordationibus
 creditus. Conradus Tiburtius *Kango*, Po-
 meraniae Suecicae Superintendens, ac pri-
 marius in Academia Gryphiswaldensi Theo-
 logus, in libro vernaculo de *prudencia Christia-
 na circa errantes & haereticos adhibenda*, libros
Arndtii periculi plenos, atq; animarum pernicio-
 judicavit, omnibusque, ut ab eorum lectio-
 ne sibi sollicitè caverent, auctor fuit. Jo-
 hannem quoque *Waltherum*, circa a. 1621.
 contra eosdem Dantisci librum scripsisse, &
 Wittenbergam, ut ibi typis exscriberetur,
 misisse, qui tamen non impressus fuerit, te-
 statur *Hariknochius* in Hist. Eccl. Pruss. p. 802.
 Quamquam id quoque scio, non paucos
 ejusdem confessionis Theologos, pietate at-
 que eruditione praestantes, inter quos nunc
 tantum nominare liceat Dan. Dilgerum, H.
 Varenium, Joh. Val. Andreae, Paulum Egar-
 dum, J. G. Dorscheum, Phil. Jac. Spenerum,
 C. Breithauptum, & quem primo loco no-
 minare debuissim, virum non plus aetate
 & dignitate, quam meritis in ecclesiam, &
 rem literariam venerabilem, meumq; de quo
 non parum mihi gratulor, Fautorem, J. Diec-
 mannum, (in praefatione ejus de V. C. li-
 bris praemissa, quae in ejus scriptorum
 Germanicorum collectione p. 164. 232 appa-
 ret) aliosque, famam viri contra ejus ob-
 tracta.

trectatores dedita opera & singularibus
etiam libris fortiter fuisse tuitos.

Et, quid nostris hominibus molestiae
objiciuntur, quas Arndtio forte creaverint,
cum illi sane, in quorum ille communio-
ne vivebat, illi vivo atque valenti longe
acerbiores devorandas praebuerint? Speci-
minis tantum loco, adducere liceat, quae
cum eo Brunopoli atque Gedani, & quidem
ob primam ejus de V. C. librorum editionem
acta sunt. Ita in praefatione, quae Rigensi,
Lipsiensi atque Mindensi ejus de V. C. libro-
rum editionibus praefixa est, legitur, *collegas
ejus Brunsvicensis cum privatim aequae ac publice in
numerum HAERETICORUM reculisse, suosque
audiores, ut sibi ab ejus doctrina ac veneno
caverent, serio commonuisse.* Joh. Wagnerum,
qui eo tempore Superintendentis munere
in ea urbeungebatur, in actis Ministerii,
manu propria adnotasse, Arndtium, ob
*similitates, quae ipse crearentur a Collegis, inde
discessisse testatur Rethmeyerus c. l. p. 329.*
Sed audiamus haec ex ipso Arndtio,
qui epistola a. 1607. scripta verbis per-
flebilibus, injurias, sibi a collegis suis factas
conqueritur; inter alia scribit editionem libello-
rum suorum collegas impedire, censuram nimis
mordacem usurpare, sua contemnere, se ab edi-
tione prima libelli pressum, **PESECUTIONEM &
CALUMNIAS** plures esse passum, se publice
privatim fugitari & apud populum rudem traduci

se vix intra biennium unum diem quiete vixisse, si pace vellet frui, discedendum sibi aliorsum, privatam ut posset vitam agere & quae sequuntur. (Vide J. Ern. Gerhardi Epist. ad amicum de obrectationibus, quibus J. Arndius cum libris suis de V. C. expositus fuit, impressam Jenae 1705. 4. Relationem de vita Arndtii, editam Nordhufae; 1698. in 4. pag. 11 seqq. & laudatam clarissimi Rethmeyeri historiam p. 324. seqq.) Pariter in literis, quas brevi post suum Brunopoli discessum ad illius urbis consulem Statium Kahlen misit, conqueritur, se a collegis suis coram publico coetu haereticum declaratum, fanaticis adscriptum, omnes actiones suas nugas, Siculis gerris vaniores appellatas, immo stupidissimum, ignarissimumque asinum vocatum &c. Nimis emphatica verba sunt, Germanica, quibus usus est Arndtius, quam ut hic omitti debeant. Ich gebe E. E. W. freundlich zu betrachten / was das sey einen öffentlich vor der ganzen Gemeinde zu verketzern / verschwärmern / alle sein Thun für Töckelen und Hudeley zu schelten / einen nicht allein als den größten ungelahrtesten Esel / als der die Theologiam nicht gelernet / auch nicht recht versteht / sondern auch der Lehre halber / verdächtig zu machen / und die Leute für einen zu warnen &c. Et quo ille loco multis suorum Fratrum Brunswici fuerit, ex verbis Catalogi Ms. Minist. Brunsw. quae laudatus Rethmeierus p. 329. adduxit, possumus conjecturam capere;

Erat Arndtius (ita ille non erubuit scribere) homo ingenio vasto, callido & vulpino, pluris favorem & gratiam senatus, quam Ministerii auctoritatem & salutem faciens, quo abeunte NB. Ministerium magno onere levatum est.

Cui denique non dictus Hylas de tribus illis motibus, quos a. 1618. atque ita vivo adhuc & valente Arndio Gedani, primarius illius urbis ad aedem D. Virginis minister D. Joh. Corvinus cum sociis suis contra *ouegys* suos, Danielem praecipue *Dilgerum* & *Hermannum Rathmannum*, qui libros Arndii suis commendaverant auditoribus, excitavit? Neque enim veritus est publice magno cum animi impetu asserere scripta Arndii cum fundamentis sacrarum literarum pugnare, ad varias haereses & fanaticorum errores viam non solum pandere, sed & in haereticorum librorum numerum referenda, perperam docuisse in praecipuis fidei articulis, de verbo Dei, poenitentia, justificatione, matrimonio, & resurrectione mortuorum, sententias esse noxias & periculosas, quas ille in suis *nauci* (*losen scartequen*) de V. C. scriptis, & reliquis hypocriticis libris proposuerit, res Arndtii esse *assanias* & *quisquilias*, (*Ulfankereyen*) Diabolum mercedem solurum Arndtio pro laboribus suis; se nolle eo venire, quo Arndtius translatus sit &c. Vix oculis meis credo, cum talia lego. (Vide, si haec tanti tibi sunt, *Christ. Hartknochii Hist. Eccl. Pruss. L. III. c. 8. p. 798-810. Rethm. H. Eccl.*

Brunf. p. IV. c. 5. §. 33. Godl. *Wernsdorffii*,
 Theol. Wittenbergensis diff. de Arndtianis
 de V. C. libris, Diecm. in cit. praef.) Ne-
 que nunc repetam illas turbas, quas in ea-
 dem urbe florentissima Gedano, ejus Theo-
 logi ante aliquot annorum lustra excitarunt,
 in omnium enim recenti adhuc memoria
 versantur, quae inter Sam. *Schelguigium*, &
Constant. Schutziium acta fuere, cum hic
Arndtii informatorium Biblicum suis audito-
 ribus commendasset. Tum enim ille publi-
 co scripto hoc multorum errorum accusare
 conatus est, quos tamen hic in *Vindiciis* in-
 formatorii diluit. Quod si autem quis Re-
 formatorum vel centesimam partem horum
 contra Arndium vel dixisset, vel fecisset,
 vel scripsisset, quae isti *γνησιως* Lutherani,
 (quem quidem titulum tantopere iis carum
 haud invidemus) & fecere, & dixere, &
 scripsere, quo tu nos loco, mi lector, di-
 gnos judicares? Quod si haec R. Boemius a
 suae familiae viris acta Britannis suis, Arnd-
 tiani nominis cultoribus, inter quos & me-
 um mihi profiteri nomen liceat, tam fide-
 ter enarravisset, quid putas hos, qua sunt
 animi perspicacia, de illis judicatu-
 ros fuisse?
Quis rulerit Gracchos de seditione querentes?
Sed manum de tabula. T. d. H.

VI.

ANTONII DRIESSEN,

Ecclesiast. & Rheno-Trajectini responsiones ad

Viri Nobilissimi & Eruditissimi D. Hermannii

Deusingii 7. U. D.

dubium

motum circa Chronotaxin Apocalypticam, nec

non rationes aliquot Regnum millena-

riam &c. sollicitantes. Traj. ad

Rhenum 17 17. 4to

12. phil. yra.

Hypotheses a Celeb. Driessenio, nunc sacrarum literarum in Academia Groningana P. Professore, in Apocalypsin nuper admodum divulgatae adeo peculiare quid habent, ut non sit mirandum, multas ex iis aliorum Virorum doctorum consensum non impetrare. Statim ab initio bellum Cl. Authori, sed amicum & quod in exemplam trahi meretur, a Viro movetur, quamvis Juris consulto, in studio tamen Scripturario & figillatim emblematico exercitatissimo, & in eo non sine singulari laude hactenus versato, *Hermanno Deusingio*. Qam longe utrorumque animus ab omni rixandi cupidine abhorreat, ex laudabili in

in scribendo moderatione & honesto alterius de altero iudicio non sine iucunditate perspicitur. Insigne sane est, quo Cl. *Driessenius* adversarium suum ornat, elogium in præfatione, cui ego quoque nisi subscriberem, ingratus prorsus essem, qui multum me in studio Allegorico ex libris a Vi-
ro doctissimo editis profecisse lubens profiteor. Et si quid duriuscule dictum, olim in eum calamo excidit, de quo ab ipso *Deus-
fingio* humanissime admonitus sum, istud nulla alia ex causa prognatum profiteor, quam ex hypothese de mysterio SS. Trinitatis quam plurimis allegoricis interpretationibus substructa, quam ut periculosam semper averfatus eram & ubique ferme invitus latitare deprehendebam. Fatendum tamen est, non tantum inter Theologos, qui orthodoxiam suam Ecclesiæ reformatæ abunde probarunt, non defuisse, qui ad *Deusfingianam* hypothesein valde appropinquarunt, ipsumque Virum Cl. consequentias, quæ videntur ex suo conceptu sequi, serio deprecari. Cum enim candidè monuissem, anxium me habere, ne quid mysterium salutis, Filii que sponsio & lytri solutio ex personalis distinctionis sublacione detrimentum caperet, inter alia rescripsit: " si ita esset, " sententiam hanc ipse ex animo abominarer, utpote qui *sacram salutis nostræ anchoram* nullam aliam juxta tecum agnosco præter

"præter æternam Filii Dei sponſionem &
 "lytrum ejus pretioſiſſimum & ſufficientiſ-
 "ſimum Patri, rato tempore pro nobis ſo-
 "lutum, in quo conſolatio & ſpes mea
 "omnis unice ſita eſt. Quod ſalutis
 "noſtræ fundamentum per Dei gratiam tam
 "firma fide amplector & ore tam ſincere
 "(μαίελος μοι ο θεός) profiteor, ut confir-
 "mationi ejus, ſi opus eſſet, hanc vitam
 "impendere non detrectarem. In qua ſa-
 "ne conſtatione Viri gravis omnes εν αγά-
 "πη αληθευοντες fas eſt acquieſcere, remque
 "totam Deo & tempori permittere, ſaltem
 "ab omni *heretificatione* (liceat rem barba-
 "ram barbære exprimere) abſtinere.

Sed ad ipſam belli literarii arcem ut appro-
 pinquemus, de duabus potiffimum Cl. Drieſe-
 ſenii hypotheſibus diſputatur. Altera de
 præcipuo exegeſeos totius fundamento agit,
 nempe de gemino *annorum* 1260. intervallo,
 quo annos 2520. conficiente ſeptem perio-
 dos N. T. decurrere docuerat. Nectamen
 ſingula argumenta hujus ſententiæ a Cl. Deu-
 ſingio excutiuntur, ſed unum ſeligitur ex
 Apoc. XII, & XIII. petitum, ubi Cl. Drieſe-
 nus docuerat ſpatium 1260. *dierum* vel *tem-
 poris temporum* & *dimidii temporis* nutritioni
 mulieris in deſerto datum c. XII, 6. 14. prius
 N. T. intervallum abſolvere, quo ante ver-
 titur tempus beſtiæ c. XIII. vi, 5. 42. menſi-
 bus determinatum, tanquam alterum prin-
 cipale intervallum. Hos calculos ut turbet
 Cl.

Cl. *Deusingius*, statuit *nutritionem mulieris in deserto*, quæ secundum Cl. *Driessenum* statim cum primordiis Christianismi inchoabat, initium demum capere, ex quo Draco thronum suum & potestatem suam tradidit bestia, h. e. non tam ætate Constantini M. quam tempore longe ceteriori. Atque hanc hypothesein variis argumentis ex nexu petitis probatum it, quæ singula a Cl. *Driesseno* amicum suum antagonistam καὶ ἀνταγωνιστὴν sequente examinantur.

Altera disceptatio circa *millennium Apocalypiticum* versatur, ubi tria potissimum contra Cl. *Driessenum* agmina movet. Cum enim expectandam adhuc Cl. *Driessenus* hanc periodum censuerit, alter elapsam statuit, ille *resurrectionem*, quæ in regno millenario promittitur *literalem*, alter *mysticam* defendit. Atque his *Deusingii* hypotheseibus firmatis, tertium κενόμεινον de prodigiola annorum 360000. periodo, quos prior ex millennii diebus propheticæ sumtis exsculperat, jam dijudicatum erat. Priores quæstiones utrasque studiose pertractat in responso *Driessenus*, neque partibus suis deest, in ter tia tamen sibi aquam hære ingenue confitetur, & diserte docet, se tempus illud stupendum non absolute determinasse. Opposita saltem e diametro *Driesseni* sententia est hypothesei *Anonymi* cujusdam, qui mille annos Apocalypiticos pro mensuris habet, annosque

nosque Julianos octoginta fere cum semisse
 conficere asserit. Cæterum non injucun-
 dum erit Cl. Driessenio, primariam ejus hy-
 pothesin de duplici & æquali N. T. interval-
 lo patronum in antiqua jam ecclesia habu-
 isse Hippolytum, qui totum tempus N. T. ut
 unam hebdomada considerat, cujus dimi-
 dia pars 1260 annis Apocalyptis respon-
 det. In quam rem confert locum Dan. IX.
 27: *Et faciet prevalere fœdus propter multos, septi-
 mana una & dimidio septimana faciet cessare
 sacrificium & donum.* Cui loco in Αποδείξει
 περι τῆς Ἀποκάλυψεως ex editione Parisina p. m.
 59. statim subjungit hæc verba: Μίαν μὲν
 ἢν ἑβδομάδα ἐστὶν τὴν ἐσχάτην τῶν ἐπι τῷ τέρ-
 ματι τῆς σύμπαντος κόσμου ἐσομένην ἐπ' ἐσχάτων
 ἑσημέων, ἢ ἑβδομάδος τὸ μὲν ἡμισυ λήψουσαι
 εἰ δὲ δύο προφῆται, Ἐνώχ καὶ Ἠλίας. οὗτοι γάρ
 κηρύξουσιν ἡμέρας χιλιάς, διακοσίας ἑξήκοντα,
 περιβεβλημένοι σάκκους, μελάνοιαν τῷ λαῷ καὶ
 πᾶσι τοῖς ἔθνεσι καταγγέλλοντες. Unam igitur
 septimanam, quæ ultima in fine universi mundi
 futura erat, in ultimis verbis significavit, cujus
 septimane dimidium occupabunt duo Prophete
 Enoch & Elias. Illi enim predicabunt dies 1260,
 saccis induti, penitentiam populo & omnibus gen-
 tibus annuntiantes. Fatendum tamen est in eo
 Hippolytum à Driessenio divorsum sentire, quod
 per dies 1260 testium in sacris vaticinantium,
 uti & deinceps p. 91. 92. per tempus temporis
 & dimidium temporis nutritionis mulieris in
 deser-

deserto non intervallum primum, sed secundum, in quo Antichristus regnare debebat, intelligat. Debeo hanc observationem literis Viri eruditissimi & in omni re literaria versatissimi *Job. Laur. Mosheimii*, qui simul submonuit hypothesei *Cl. Driesseni* prope convenire, cum meditati *Marstrandii*, Theologi Hafniensis, in Ms. una cum aliis speciminibus inter amicos delitescente. Hic *Marstrandius* *Lexicon Propheticum* magnae molis meditatur, regiamque hoc nomine gratiam ambit, quo excudi possit: Nec spes decollat voti sui potiundi, si sereniora tempora illuxerint. Forte in sequentibus bibliothecae nostrae fasciculis ex ungue leonem conspiciendum dabimus.

Immixtae sunt erudito huic conflictui aliae quoque hypotheses, quae ab utraque parte ventilantur. Liceat mihi duas excerpere.

Cl. Driessenus per *mulierem sole amictam*, Apoc. XII. intellexerat Ecclesiam Judaicam, perque *partum Filii illius masculi & rapium ejus ad thronum Dei* nativitatem Christi & ascensum in caelos, literalem. *Cl. Deusingio* contra videtur per *mulierem* intelligendam esse Ecclesiam N. T. & per *filium masculum* Christum mysticum, mystice in mundo natum, ut Regem gentium, & mystice in caelum adsumtum, cum in Throno Dei jam inter gentes erecto collocatus esset p. 2. 3.

Suam

suam tamen hypothefin defendit *Driessenus* p. 15. sq. Mihi *Deusingii* partes hic videntur potiores.

Per *mulierem sole amictam* utique intelligendam Ecclesiam N. T. & quidem, quæ inter Judæorum primitias totam gloriam hic depictam plene possedit, duxerim (1) quia *signum visum est in celo*, quod designat visionem ad N. T. spectantem (2.) quia nimis grandia sunt, quæ de hac muliere prædicantur, quam ut ausim ad Ecclesiam V. T. referre, præcipue quando *Sole amicta* etiam antepartum Christi statuitur. (3) quia eadem mulier est, quæ Christum parit, & quæ *in desertum fugit* absque ullo vel levissimo mutati schematis indicio. Saltus ergo haut exiguus sit, & differentia inter Oeconomiam V. & N. T. non parum repugnans, quando sub eodem schemate, in eadem continuata allegoria utraque Ecclesia & Israëlita & Christiana latitare creditur.

Partus ergo filii masculi allegorice est intelligendus, non de Constantino M. quo non opus est confugere, neque de mystica in Judæis, sed in *gentibus* nativitate per præconium Evangelii, cui Paullus se obstetricari profitetur Gal. IV. 19. Quod confirmatur ex addita descriptione, quando *virga ferrea pascere* dicitur *gentes*, phrasi ex Ps. II. petita. Unde & *raptus* ejus ad *thronum Dei* mystice

K

est

est intelligendus de adscensu primorum Doctorum & Martyrum in gloriam cœlestem. Similis phrasis est Jes. LVI. I. Quamvis enim ad seriora tempora respiciatur, simile tamen, quid sub persecutionibus Romæ gentilis obtigit. Saltem contra partum proprium facere videtur: (1) quod totus contextus est allegoricus: (2) quod Apocalypsis filium suum tam alte non ordiatur, in qua Christus natus & glorificatus supponitur, uti visum præparatorium c. I. abunde docet: (3) quod *adscensus* Christi nunquam *raptui* comparetur, nec apte videatur comparari posse, cum omnes hostes Christi ad silentium & stuporem post resurrectionem redacti essent, nemoque in illo temporis articulo contra hisceret: (4) quod *parvus Filius masculi* cum raptu ejus ita immediate connectatur, quasi nihil aliud intercessisset, atque hoc pacto supponatur, illum, qui rapiebatur, infantem recens natum esse: quod de Christo literaliter nequit intelligi, sed in Christo mystico plenius conspicitur, quia ille in Ecclesia recens nata quasi infans erat: (5) quod *Draco* Imperium Romanum pingens non tam cito videatur contra Christum recens natum insurrexisse. Nescio sane, quomodo Herodis Idumæi furor peculiaris toti Romano imperio possit adscribi. Accedit, quod Draco jam anticipet partum, & antequam mulier enixa erat, ante eam steterit: quod

quod de Romana tyrannide explicari nequit,
 Quin antequam ante mulierem constitisset,
 Jam aliud specimen *πονηρίας* ediderat *tertiam*
partem stellarum Cæli cauda trabens, easque
in terram conjiciens per pseudapostolos in pri-
 ma ecclesia Judaica subnatos. Quamvis
 enim descriptiones personales ad sequentia,
 quoque tempora possint referri, in factis
 tamen ordo temporis non sine gravi causa
 mutandus est. Quando ergo textus in præ-
 terito tempore hæc facinora una serie enarret:
καὶ ἔβλεπεν αὐτὴς εἰς τὴν γῆν καὶ οἱ δούλοι ἐσηκον
ἐπὶ αὐτὴν τῆς γυναίκος, quomodo aliquid aliud
 obversari attento lectori potest, quam *deje-*
ctionem Stellarum in terram antecessisse partu-
 rientis mulieris persecutionem? Cæterum,
 a nostris partibus stat ipse ille, quem modo
 laudavimus, *Hippolytus L. cit. p. 89. seq.*

Alia controversia in secundo conflictu
 subnata est circa locum Joh. V. 28. 29. de quo
 Cl. *Deusingius* p. 46. ait: *Jesus in illis versi-*
bus de ejusdem generis resurrectione, nempe spiri-
tuali loqui, de qua vs. 25. egerat, inviētis ratio-
nibus demonstrari posse videtur. Obviam ei it
 Cl. *Driessenus* p. 67. 68. cui hætenus subscri-
 bimus, & cum eo inviētis illas rationes
 enixe desideramus, quibus, si prægnantes
 fuerint, in Commentario, quem in Johan-
 nem paramus, lubentes adsurgemus.

Dum autem in hypothefibus Apocalyp-
 pticis Cl. *Drieffeni* verſamur, liceat nobis aliam
 aliquam addere ipſi privam de *numero beſtia*,
 quam p. 324, 325. Comment. in Apocal. Vir
 Doctiſſimus examinandam dat. Ubi præ-
 ſtructis quibusdam poſtulat, & præcipue
 quod ad literas numerales reſpiciatur, quod-
 que eæ non in nomine quodam proprio, ſed
 circum ſcriptione characteris beſtiæ ſint quæ-
 rendæ, characterem hunc ſimul cum nu-
 mero DCLXVI in his verbis ſe inveniffe,
 cenſet: *Una Vera Catholica Infallibilis Ec-
 cleſia*. Hanc tamen meditationem ſuam,
 nulli obtrudere vult. Non deerunt, qui
 talem ſolutionem problematis Arithmetici,
 a Spiritu ſancto dati, valde incertam & va-
 gam judicabunt, ex hoc præcipue fundamen-
 to, quod eodem pacto numerus 666 poſſet
 unicuique tribui, cui eum affingere lubue-
 rit. Expertus id eſt Cl. *Juræus*, in cujus
 nomine Hebraice ſcripto Legatus Regis Gal-
 liæ poſt *Rich. Simonium* eundem numerum
 oſtendit, ut ulciſceretur *Juræi* inventum in
 voce *רומי*. *Historiam* narrat *Benthemius*
Holl. Kirchen-Staat p. II. p. 431. 432. Adde,
 quod nihil *μυστηριώδης* in talibus chronofti-
 chis fit, niſi numerus in iis expreſſus ſimul
 in certo tempore aliisque rebus inveniatur,
 quæ aliquam peculiarem cum chronoftichis
 analogiam habent. Et cum ignoremus, an
 Spiritus Sanctus unquam alias hac methodo
 in

in ænigmatibus Prophetiis usus sit, ecquana
 divinandi ausam habemus, quod hic præ-
 ter omnem morem egerit & non potius
 aut ad certum annorum numerum, aut aliud
 numerale in typis V. T. mysterium alluserit?
 Sed abundare hic unumquemque genio suo
 fas est. Interea similis emblemata hoc resol-
 vendi ratio placuit nunc nuper Viro non
 solum pietatis, ac veritatis studiosissimo,
 sed & varia eruditione insigni *Leonb. Christ.
 Sturmio* edita disertatiuncula in vernacula, cui
 titulus præfixus est: *Leon. Chr. Sturms* Ma-
 thematici, vollkommne Auflösung des größesten
 und seit mehr als sechzehn hundert Jahr unaufo-
 gelöset gebliebenen Problematis aus der Arith-
 metica Sacra von der Apocalyptischen Zahl
 666. Rostok. 1716. Ubi varia chronosticha,
 in quibus numerus Apocalypticus deprehen-
 ditur tam Græca, quam Latina ex ingenio
 suo depromit. Græca sunt hæc:

Επίσκοπος ιερομενικός, ὃς ἐκ καθέδρα Πέ-
 τρου ἀγία Αποστόλου.

Item:

Ὁ ἱεράρχης Ῥωμαῖος, ἀμοιβαῖος ἰησοῦ χρι-
 στοῦ, κεφαλὴ ὄρα ἡ τῆς ἐκκλησίας.

Tertio:

Διαδόχος Πέτρου τῶν μακαρίων ἀλλά ἐν ἑσώ-
 τῳ τῶν Ἀποστόλων.

Denique:

Κάρα ἐπίγειον ἁγίας ἐκκλησίας.

Ex Latina numerandi ratione sequentia
propinat:

Caput VIſibile In ecclesia Catho-
LICA.

Sive:

Pontifex, antistes In Cathedra beati
petri apostoli.

Sive:

episcopvs generalis In ecclesia
sancta ſalvifica.

Pergit Cl. Author ludere in tribus Papis,
per quos quam maxime Antichristianismus
incrementa cepit, Bonifacio III. Gregorio VII
& Leone X. Ex his primo cudit sequentia
Chronosticha Græca:

Ευποιτικὸς ὁ τρίτος Ρωμαῖος ὁ Ἐπίσκοπος τῆς
ἐκκλησίας Ῥωμαίας.

Ἰλδεβρανδῖος λεγόμενος Γρηγόριος ἑβδομος, ἐπί-
σκοπος τῆς ἐκκλησίας ἐν Ῥωμῇ;

Ἰωάννης Ι. Μεδικαῖος, ὀνόματι ἠλαγμένος λέων
δέκατος Ἐπίσκοπος Ῥωμαῖος.

Ultimum, quod hic comparet, cæteris om-
nibus præferendum ducimus, nempe

Ἰλδεβρανδῖος γρηγόριος ζ.

ι 10

λ 30

γ 3

ε 100

δ	4	ε	5
ε	5	γ	3
β	2	θ	70
ρ	100	ρ	100
κ	1	ι	10
ν	50	ο	70
δ	4	ς	6
ι	10	ζ	7
ο	70		
ς	6		

374

292

292.

666.

Notandum tamen hic *Gregorius* scriptum esse per ε, cum scribendum sit per η.

Hinc comparent sequentia chronosticha latina

BonifaCIVs III GregorIVs VII & Leo X
 præsVL qVIVIs sVI æVI In eCCLESIA
 ItaLICA

BonifaCIVs tertIVs GregorIVs a qVarto
 tertIVs & Leo bIs qVIntVs antIstItes
 qVIsqVe sVa ætate In eCCLESIA patri-
 arChaLI LatII.

Ingeniosa observatio sequitur & quæ valde propinqua est hypothesei *Driesiane* p. 31. ubi ad Græcos numeros reducitur titulus a Sylvestro Ecclesiæ Romanæ datus & ita in Græcum sermonem versus:

Εκκλησία καθολική καὶ ἀποστολική τοῖς δὲ βασιλέων σκηπτικοῖς κυριεύσα.

K 4

Ag.

Agmen claudit alia methodus eundem numerum exprimendi in his verbis:

Γρηγόριος ἑβδόμος ἢ δὲ πρῶτον ἐκονόμασος
ἰλδεβράνδιος πάππαι Ῥωμαῖος.

Sed quo plures sunt, quæ producuntur, inveniendi hujus numeri methodi, eo incertior hujus exegeteos ratio est. †. Numeri hujus Antichristiani secundum hanc viam sacra & profana omnia plena sunt, eousque, ut adolescens quidam ingenii excitati a. 1666. in nostri pædagogeï suprema classe ex nomine præceptoris sui, qui erat BernharDVs CLaVsenIVs, characterem bestix formaverit. Serio ut dicam, palma adhucdum in medio posita est, nec indigna, in qua obtinenda Viri δυνατοὶ ἐν γραφαῖς desudent.

Commodum accidit, cum hæc prælopararem, ut Vir idem Cl. cujus dissertatiunculas recensuimus, *Hermannus Deusingius*, suam de numero hoc mystico sententiam, morfos sane ungues sapientem, ἰὲ πάνυ Cocceji vestigia premens per literas communicaret, quam pace ejus hic judicio Virorum Doctorum permittimus, expectaturi juxta cum eo, si quid clarius meliusque ab aliis in medium afferatur. F. A. L.

†. Nihil magis rationem numerum hunc per chronostichon referandi elevat, quam quod tales ingenii lusus ætatem valde recentem sapiant. In qua

qua hæresi egregie confirmatus sum per literas elegantissimi & eruditissimi *Mosheimii*, ex quibus liceat hæc excerpere, quibus sui de *Celeb. Driesenii* hypothese animi sensa libere & docte, uti solet, prodit:

Vel eo nomine ipsius conjecturæ locus esse nequit, quod ad linguam Latinam recurrat, cum veri plane sit simillimum, Johannem Græce scribentem Græci sermonis habuisse rationem. Deinde male *Chronostichon* nobis obtrudit. cum modus numerandi *Cabbalisticus* unice hic obtinere possit. Qais hoc Viro docto credat, Spiritum S. ad recentiorum nugas, quæ *Chronosticha* vocant, respexisse? Quanto rectius Judæorum hic mos observandus est, qui nominum literas numerare, pensitare, magnique facere solebant. Recentior, res dixi nugas esse *Chronosticha*, atque hoc ideo, quoniam ex omni antiquitate nullum eorum exemplum proferri poterit. *Ἰσοψηφας* componendi versus, nominaque *ἰσοψηφας* investigandi studium, quorum scilicet literæ eundem perficerent numerum, antiquissimum est, ut vel ex *A. Gellii Noct. Att. L. XIV. c. 6. p. m. 409.* constare potest. Unde in Græcis Epigrammatibus *Anthologiae* Poeta quidam ingeniosus false ostendit, *Damagotæ*, nescio cujus, nomen ejusdem esse numeri cum voce *λοιμος*. Quæ ni animus fallit consuetudo a Judæis originem traxisse videtur, & Latinorum forte locutioni, *numeri alicujus esse*, aut *numero aliquo habere aliquem*, occasionem subministravit. Sed quam iste lusus a *Chronostichis* distat? quæ nisi antiquitatum me peritior aliter doceat, ad *Monachi* cujusdam cerebrum spectare crediderim; Tantum abest, ut *Johannis* temporibus ea in usu fuisse mihi persuadeam.

Acrosticha quæ vocant, paullo antiquiora esse, variis ex documentis colligo. Et vel antiquiores Comoediarum Plauti Colices rem pericere possunt. Sed vero de *Chronostichis* longe aliter judicandum erit. Nosti P. Optatiani Porphyrii Panegyricum ad Constantium M. vicennialia celebrantem, sæpius in Pithœi poematis veteribus ac separatim a Velfero quoq; editum, ac carminice conscriptum. Totum per me quisquam ad difficiles nugas ablegat. Quicquid enim ineptæ Poeseos confingere poterat, id omne author multo cum studio eo congescit; acumen tenue ostentaturus. Hic *Acrostichides*, Hic nescio quos literarum lusus videas magna solertia excogitatos. Verum nusquam *Chronostichorum* umbra reperitur aut vestigium; quibus tamen auctor, felicius Cæsaris aucupari potuisset favorem, siquidem ratio eorum tunc fuisset cognita. Vel eo exemplo, si nihil aliud suppeteret, confici potest, ad Constantini M. ætatem non adsurgere hos ingenii lusus. Sed & nihil, quantum equidem novi, in omnibus aut profanorum aut sacrorum antiquorum Poetarum fragmentis scriptisque a Fabricio, Pithœo, Almelovenio, aliisque collectis extat, quod hunc morem redoleat. Num itaque D. Johannem eundem habuisse in animo credamus?

Hæc eruditissimus *Mosbœmius*, quibus utrumque pollicem addere fas est: quamvis simul cum eo profiteatur, eruditionem ac meritâ Clarorum Virorum, quibus denso agmine hanc viam inire adlubuit, me venerari.

HERMANNI DEUSINGII
COGITATIONES.

Johannes Apoc. 13: 17. 18. eorum meminit, qui habebant characterem aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis ejus: qui numerus est. 666. Quæritur autem quis sit verus ac genuinus hujus numeri significatus? Res digna sane, cui ὁ ἔχων τὸν ὄντων qui intelligentiam habet (vel potius ὁ ἔχων τὸν ὄντων τῆς χρείας, qui habet interpretationem Christi, in scriptura Novi T. expositam, d. c. v. 18. Coll. 1. Cor. 2: 16. Apoc. 17: 9. & 1. Cor. 14: 13. 14.) omne studium omnemque cogitationem impendat. Quando in intellectu illius numeri, non tam theoretico, quam practico sita est ἡ σοφία sapientia: eod. vs. 18. neque ille investigatu adeo est difficilis. Est enim ἀριθμὸς ἀνθρώπου numerus hominis, h. e. homini haud imperspicuis. Quo fere sensu alias dicitur γράφεισ ἀνθρώπου stylus hominis Jes. 8: 1. μέτρον ἀνθρώπου mensura hominis Apoc. 21: 17. & πειρασμὸς ἀνθρώπων tentatio humana. Verum hac de re tot propemodum sunt sententiarum

riæ, quot capita: quas recensere nihil attinet.
Ego quid statuam paucis depromam.

Dicto loco per *Bestiam* intelligendam reor multitudinem hominum, nomen Christi quidem profitentium (ut pote quæ a *mar-*
ri gentium in *terram* Ecclesiæ *adscenderat* v. 1. 11.) sed carnalium & spiritu carentium: per *characterem Bestie*, vel *imaginis Bestie*, in frontibus & manibus receptum, d. c. 13: 16. c. 20: 9. Legem Antichristi, oppositam legi divinæ, similiter frontibus & manibus alligari, h. e. professione oris & opere manuum exprimi posse: Deut. 6: 8. 11: 19. per *nomen Bestie* nomen Ecclesiæ Catholicæ, seu Catholico-Romanæ: Denique per *numerum illius nominis* (qui & *numerus Bestie* appellatur v. 18.) notam illam, seu illud *κρίσιον* indicium, quo Ecclesia, sic dicta, Catholica semet ipsum potissimum à vera Ecclesia distinguit. Quod indicium est numerus seu multitudo eorum, qui ab illius stant partibus. Cui numero illa, *libamen fundit*. Jes. 56: 11. *Habere autem hunc numerum* dicuntur illi, qui multitudinem habent pro vero & evidenti veræ Ecclesiæ *Γραμματι* insigni, contra illud Servatoris effatum. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Matth. 20: 16. conf. Luc. 13: 23. 24.

Unde liquet relationem intercedere inter hunc numerum & numerum signatorum,
qui

qui est 144000. Apoc. 7: 4. 14: 1. Adeoque hunc, quo rectius noscatur, omnino, esse cum illo componendum.

Per numerum autem 144000. intelligo electos & fideles, qui in Ecclesia, sic dicta, Catholica, sub Papatu quasi in 12. tribus dispersita fundamento doctrinæ 12. Apostolorum erant superstructi: Adeoque per numerum 666. reliquam multitudinem, illi fundamento haud innixam, sed ei adversantem. Cæterum non sufficit hunc numerum ad illam referri & cum eo conferri, verum etiam necesse est hunc, nec tamen sine illo computari. Juber enim Johannes *Ἐπιπέσει τὸν ἀριθμὸν τῆς θύρας* calculare numerum bestia. d. v. 18.


Nimirum dividendus est primum numerus 144000 per numerum 666, deinde dividendus quoque numerus 666 per numerum 12, qui est radix numeri prioris. Quæ divisiones fata numeri utriusque, h. e. veræ & falsæ Ecclesiæ, ad oculum ostendent. Nam si numerum 144000 divides per numerum 666, remanebunt 144.: Si vero numerum 666. divides per numerum 12., remanebunt sex. Quod non est mysterio cassum. Et quid aliud, obsecro, eo significatur, quam hoc, fore primum ut totus falsæ Ecclesiæ, seu Bestiæ, numerus, h. e. multitudo illa carnalis fidem Christi mentiens, insurgat in numerum veræ Ecclesiæ, omni
vi

vi & impetu in eum irruat, eumque divi-
 dat & dispergat, sed eo cum eventu, ut su-
 perstitet *μικρον ποικυλον pusillus Grex*, Luc. 12:
 23. Ecclesia quantalacunque eorum, qui
 fundamento Apostolorum firmiter adhae-
 rent, quæ habeat similitudinem numeri 144
 (qui est radix quadrata numeri 144000) &
 cujus ope divisi dispersique recolligantur,
 atque iterum cum ea coalescant. Cujus-
 modi divisio facta est, cum Bestia bellum
 gessit cum sanctis, eosque ad tempus vicit
 & disjecit, mox reuniendos. Apoc. 13: 5, 7.
 Deinde quoque fore, ut vera Ecclesia per do-
 ctrinam Apostolorum (quæ est radix numeri
 ipsius) in numerum Bestiæ serio inquirat, eum-
 que vi veritatis ita excutiat & dissipet, ut nihil
 reliqui faciat præter numerum senarium, h. e.
 nudam *πενταδωδεκα* (cujus vocis literæ etiam
 666 conficiunt) traditione quæ doctrinæ il-
 li Apostolicæ dimidium addit, dimidium de-
 mit, comprehensam 6. libris Decretalium, qui-
 bus omnipotentia pontificia stabilita ac qua-
 si in legis formam redacta est & per paucos
 traditioni immortuos ab omni numero suo
 derelictos, atque omnium risui & ludibrio
 expositos. Cujusmodi divisio fieri quidem
 cœpit tempore Reformationis, cum illi
 144000 qui *habebant nomen Patris scriptum in*
frontibus suis, evangelium æternum predicarunt
incolis terre & omni genti & tribui & lingua &
populo. Apoc. 14: 1, 6. tunc cum effectu præ-
 fertim

sertim futura est, cum illi, qui reportabunt ex Bestia & imagine ejus & caractere ejus & numero nominis ejus plenam victoriam, cantabunt canticum Moysi & Agni. Apoc. 15: 2. 3. Priore casu demonstratum est domum, in petra fundatam, die tentationis consistere, & architectum ejus, ut virum prudentem, collaudari: Posteriore demonstrabitur domum, arenæ superstructam, die tentationis cadere, & denudato profuturoque fundamento, architectum ejus, ut virum fatuum cunctis ludibrium debere. Matth. 7: 24-27.

Quæris quid causæ sit quod, cum numerus Bestiæ numerum veræ Ecclesiæ longè exsuperet, in scripturis tamen illa symbolo minoris numeri, nempe 666. hæc numeri majoris nempe 144000, designetur? Respondeo hoc eo fieri 1. quoniam judicio & æstimatione Dei pauci electi multis vocatis tantum prævalent, quanto major est, qui in illis, quam qui in his est. 1. Joh. 4: 4. 2. Quoniam numerus senarius, numerum duodenarium, vere perfectum, dimidia- tim secans, imperfectionis nota est. Quare Deus, numerum Gogi *αὐαπίστυλον* irridens, dicit *והשבבתך וששאתך* & reducam te & sexta- bo te h. e. numero senario, ceu imperfectionis nota, te insigniam. Ezech. 39: 2, 3. Quoniam nihilominus falsa Ecclesia in numero illo senario, h. e. in adulteratione ve- rita-

ritatis per additionem demtionemve dimidii
 (in qua omnem errorum suorum vim & po-
 testatem collocat) perfectionem constituit,
 & in eo mysterium quærit. Quapropter
 Bonifacius in præfatione libri sexti Decreta-
 lium ait se censuisse librum illum oportere sex-
 tum nuncupari, quoniam, sicut numerus sena-
 rius perfectus est, ita volumen hoc, reliquis ad-
 jectum, perfectum in agendis rebus formam tri-
 buit & in moribus disciplinam.



VIII.

Das erneuerte Gedächtniß der Prediger in
Aurich 2c.

i. c.

MEMORIA

Ministorum verbi divini apud

AURICENSES,

Qui inde à tempore Reformationis ad hunc usque
 diem in illa urbe Evangelium docuerunt,

Renovata à

CHRISTIANO FUNCKE,

Pastore Seniore Auricensi, Oldenburgi,

1717. 8. 6. plag.



L. reverendus auctor auditori-
 bus suis memoriam restitutæ an-
 te duos annorum centenarios
 opera potissimum B. Lutheri re-
 ligio-

ligionis, cujus alterum Jobelaeum hoc anno passim celebratum fuit, refricaturus, obtulit illis seriem omnium sacerdotum, qui ab illo tempore, ad hunc, quem vivimus, annum, Aurici, quae serenissimorum Frisiae orientalis Principum sedes est, divina oracula interpretati sunt. Nos ex illo opusculo cum quaedam, quae notatu videbuntur digniora, excerpemus, tum eorundem Pastorum nomina exhibebimus. Henricum *Brunonem* vel *Brucum* jam ineunte vere a. 1519. adeoque vix integro post institutae reformationis initia sesquianno, omnium primum, in Frisia Orientali, Aurici, Evangelium praedicasse, quem sequenti anno M. Georgius *Aportanus*, qui antea Conrectoris munere apud Suollanos functus fuerat, Emdae, & Johannes *Steffens*, ab ipso Luthero eum in finem ablegatus, Nordae sequuti fuerunt, haut abnuente Illustrissimo Comite Edzardo, cui praeclarae virtutes cognomen *Magni* pepererant, narratur pag. 3. sq. Hujus filium Ennonem II. qui anno 1518. ad imperium accesserat, sequenti anno publicum ecclesiae Romanae cultum abrogasse, eumque in finem duos Theologos Bremenses, Johannem *Timannum*, (a) & *Pelte*, (b) accersivisse

(a) De hoc Timanno, vulgo Johann van *Amsterdamms*, cognomento *lac dulce*, id est: *Göttemeld* / ecclesiae Martinianae primo post repurgata sacra Pastore, plura nobis commemorandi locus erit, in *Historia*, quam

fuisse, ut & fidei formulam, & publici cultus ac regiminis ecclesiastici canones conscriberent, quae autem res cum minus ex voto successisset, deinceps. a. 1534. idem negotium Martino *Ondermarcko*, & Matthaeo *Ginderico*, Theologis *Luneburgicis*, *Cellensi* & *Bardevicensi*, eum in finem à *Seren. Principe Ernesto*, *Cellensium Duce* ad *Frisios* missis demandatum, atque feliciter transactum ex p. 12. seqq. discimus. *Johanni à Lasco*, (c) quem auctor *Virum eruditum*, atque acris ingenii, & in conciliandis sibi animis artificem (*Ein Mann von guten Studiis, scharffem Verstande / und der sich woll wuste zu insinuiren*) vocat, a. 1543. personam *Superintendentis Frisiae Orientalis* à *vidua, Comite, Anna Oldenburgica*, impositam fuisse refertur p. 14. A. 1579. ab Illu.

sub manibus habemus, *emendatae religionis in urbe Bremensium*; ad quam ut auxiliatrices operas manusque conferant, communicatis praecipue relationibus ac documentis huc facientibus, quidquid est virorum eruditorum, historiae praecipue patriae amantium, maximopere rogamus. T. d. H.

(b) Is fuit *Johannes Pelte*, qui inde ab a. 1525. ecclesiae ad *D. Ansgarii* praefuit.

(c) De hujus praecelari, atque de ecclesia Dei meritissimi *Viri* vita ac rebus gestis *Commentarium* jam ab aliquo tempore molitus sum; quod ea de causa à memorari, ut, si quid a *Viris doctis*, quod huc facere queat, possideatur, ejus mihi copia fiat benevolè, unusquisque vel me tacente facili negotio intelliget. T. d. H.

Illustriss. Comite Edzardo II. ad sopiendas
lites, quae inter Lutheranos, quos vocant,
& Reformatos gliscebant, colloquium Au-
rici destinatum, ejusque collocutores à par-
te illorum Joh. *Ligarium*, Martinum *Fabrum*,
Joh. Antwerpensem, Bernh. *Blockium*, ab
horum autem parte Menfonem *Alcingium*,
Pastorem Embdanum, Joh. *Aportanum*, Gyb-
bonem *Nortachium*, & Wicherum *Mellesium*,
nominatos fuisse, quamvis res suo successu
prorsus caruit, observat. p. 15. Memorabile
est, Albertum *Latomum*, qui jam ab a. 1521.
H. *Bruni* in promovendo Evangelii cursu
strenuus adjutor fuerat, anno C. 1582. aet.
91. postquam tempora omnium librorum,
Symbolicorum ecclesiae Lutheranae inde ab
A. C. ad formulam Concordiae consarcina-
tarum vivendo adtigisset, & in Ministerio
Auricensi annos plus LX. consumsisset, rebus
humanis fuisse exemptum. Eum ad Refor-
matorum partes adcessisse, communi post
mortem circumlatum fuisse fama, quam li-
berorum suorum testimonium corroborave-
rit, licet ipse de eo auctor dubitet, refertur pag.
22. In vita Hermanni à *Petkum* p. 52.
narratur, cum Hamburgi in aede D. D. Pe-
tri & Pauli concio primaria à Joh. *Mullero*,
(praecipuo ejus aedis Doctore, doctissimo Vi-
ro, qui tum scriptis aliis, tum praecipue
Judaismo detecto, vernacule scripto, quod
ego quidem quantivis semper pretii judicavi,
insignem sibi nominis famam peperit)

habenda esset, atque ille in sacello eam in rem se praepararet, illum apoplexia tactum, domumque portatum, intra horae spatium exspirasse, tum nostrum Petkumium, ne cœtus hoc casu valde conturbatus sine habita oratione dimitteretur, rostra conscendisse, tantoque cum applausu dixisse, ut mox illi, quibus ea cura demandata erat, vacuefactam morte Mulleri provinciam ei conferendam decernerent. Anno 1685. Kal. Novembr. templum Evangelico-Lutheranis Embdæ primum concessum, publicis encaeniis in auguratum fuisse me pagina 61. docet. Cum vita recensetur Francisci Alberti Nesselii, obiter commemoratur, ejus patrem *Martinum*, virum doctum, neque infelicem Poëtam, Scholae hujus oppidi Rectorem, qui eodem munere ab anno 1655 ad a. 1667. in hac urbe Brema, dubio procul in Athenaeo regio Svecico, quod ibidem est, functus erat, clam hinc abiisse Viennam, sacris ibi Romanorum nomen suum ut addiceret. Ideo de causa monendum duxi, quod hic filium, uti noster fratrem natu majorem habuit, *Danielem Nesselium*, clarissimi nominis Virum, qui deinceps Augustissimi Imperatoris a Consiliis & Bibliotheca fuit. Neque indignum est memoratu, quod p. 75. & seqq. legitur Esdras Marcum Lichtensteini-um, qui avo usus fuerat, qui relictis Judaeorum castris, inter quos magistri titulum meruerat,

ruerat, Christianorum doctrinae dederat
 nomen, primum fuisse, qui Dublini in Hi-
 berna cœtui invariatae A. C. addictorum,
 à se collecto ad d. XI. Apr. a. clō 1698.
 Praefectus, postquam ejus rei veniam a sum-
 me reverendo ejus regni Primæte, Narcisso,
 qui publicis eum literis commendatitiis *fra-*
tre suum *dilectum* nominavit, fuisset ade-
 ptus. Cum autem itinere in Germaniam &
 Daniam factō summam aeris collegisset ex-
 struendo ibi locorum templo, atque alendo
 pastori parem, eamque redux Consistorio
 suae confessionis, quod Londini est, custo-
 diendam tradidisset, maximas devorandas
 habuit molestias, ita ut & malevoli cujus-
 dam artibus in carcerem conjiceretur. Ne-
 que his turbis tam facile se expedivisset, nisi
 quidam, quem auctor noster virum & ma-
 gnae dignitatis, ac pietatis, auctaeque ac
 lautae rei vocat. (*ein vornehmer / wohlbegü-*
terter / und frommer Reformirter) inter Re-
 formatos nomen suum professus, tam ini-
 que à fidei suae consortibus habiti Viri mi-
 fertus, fidem suam pro eo interposuisset,
 atque ita e custodia liberasset, ne ei deesset
 occasio, famam suam atque existimationem
 contra malevolorum impetus. quod & fa-
 ctum, tuendi. Ceterum, Cl. Auctor se
 eodem modo vitas Superintendentum, atque
 concionatorum aulicorum Auricensium ex-
 hibere posse p. 80. scribit, quod si ab eo fieret,

eum rem historiae ecclesiasticae harum terrarum amatoribus gratissimam, neque, inutilem, facturum, auguramur.

Nomina Pastorum ecclesiae

AURICENSIS,

Ad scriptis simul & nativitatis & mortis annis, qui indagari potuerunt.

	Natus	Obiit
H enricus Brunus,	- - -	0 - 0
Albertus Latomus,	- - - 1492	- 1581
Johannes à Groninga,	- - -	0 - 0
Gelmerus,	- - -	0 - 0
Johannes Holthufius,	- - - 1551	- 1617
Gerhardus Volckerus,	- - -	0 - 1610
Jacobus Drentwede,	- - -	0 - 1620
M. Daniel Fabricius,	- - - 1582	- 1628
Rudolphus Ruvius,	- - -	0 - 1623
M. Otto Brawe,	- - -	0 - 1639
M. Heinricus Heinaeus,	- - -	0 - 1639
Christophorus Holthufius,	- - -	0 - 1637
M. Dethlevus Meier	- - -	0 - 1653
M. Hermannus á Petkum,	- - 1610	- 1682
M. Georgius Volkmarus,	- - 1613	- 1677
Laurentius Ellingrad,	- - -	0 - 1679
M. Caspar Gottfr. Schepler,	- 1635	- 1692
Franc. Alb. Nesselius,	- - - 1646	- 1697
Christianus Funcke;	- - - 1659	- vivit
M. Enno Lamberti,	- - - 1671	- 1706
Esdras Marcus Lichtenstein,	- 1666	- 1716
Christian Gottfried Pfeiffer,	- 1678	- vivit

CATALOGVS LIBRORVM
Ad Theologiam, Philologiam & Histo-
riam Sacram spectantium,

atque
a Theologis Reformatis vel conscriptorum,
vel editorum, qui anno superiori
M DCC XVII.

aut recenter typis exscripti aut recusi
sunt.

Sermone LATINO prodire,



*Antonii Driessen, Ecclesiastæ Rhe-
no Trajectini Meditationes in
sacram Apocalypsin, quibus in-
quiritur, annon septem sint Ec-
clesiæ N. T. periodi, singulæ æquale tem-
poris spatium, Annos 360 absolventes,
an præter septem illas Periodos non sit
octavum Ecclesiæ Tempus, a septem illis
Periodis plane distinctum, descriptum
Cap. XX. &c. Porro annon sigilla septem
septimæ Epistolæ, sigillo septimo Tubæ
septem, Tubæ septimæ Tonitrua septem,
Tonitruis Phialæ subordinari debeant, &
dux*

duæ Parentheses in hoc libro Cap. XI. v. 1-13. & Cap. XII & XIII. usque ad v. 6^o Cap. XIV. interjectæ sint. Traj. ad Rhenum 1717. 4. Constat 542 paginis,

Ej. Diatribe de principiis & Legibus Theologiae Emblematicæ, Allegoricæ, Typicæ & Propheticæ. Ib. eod. 4^o. Constat paginis 262 & quinque capitibus, I. de sensu scripturarum improprio II. de verbo prophetico, ubi innexus est commentarius in Ps XCI & XLI. III. de studio Typico, IV. de Allegoria Novi Testamenti V. de sensu Epistolarum Apostolicarum Prophetico, cujus paradeigma datur Commentario in priorem Joannis epistolam. Denique in supplementum capituli tertii adjicitur Mosis Tabernaculum in typo & antitypo breviter delineatum.

Multa hic occurrunt, quæ ingenium Cl. Auctoris & acumen & in scripturis potentiam ostendunt: Multa plane nova & examine Theologorum dignissima. Quod si hypotheses Cl. Authoris omnibus forte non ardebant, uti ex recensione Act. Erudit. 1717. p. 330 sq. conspicuum est, modestiam tamen probabunt omnes.

Collectio nova variorum scriptorum tam editorum, quam ineditorum, rariorum
etiam

etiam & recens elaboratorum, quæ omnia integra dantur. *Fasciculus I.* continens Joh. Ph. Heini observ. in locum Gen. III. 21. 2) de Etymo Ægypti. 3) de causa adductorum Adamo animantium, 4) de ara Mosis exteriori, 5) de Cadyti, magna Syriæ urbe. 6.) de Judæorum erroribus in antiquitate. Accedunt quinque alia dissertationes argumenti Juridico-historici, authoribus Conringio, Sagittario & Franc. Florente.

Fasciculus Secundus continens 1) Heini observ. de Saulo Rege annum nato ex 1. Sam. XIII. 1. 2) De ænei diametro maris. 3) De Judæorum in rebus Antiquitatis erroribus. 4) De Azazelis appellatione. 5) De ononchoto, Christianis afficto numine. 6) Paganini Gaudentii tract. de Philosophia Romanorum 8 Halæ Magdeb. 1717.

Fasciculus tertius continens solum reliqua ex P. Gaudentii libro, quæ Tomo antecedenti inferi non potuere; Halæ Magdeburgicæ ex officina Rengerina 1717. 8. Unusquisque fasciculus alphabetum, & quod excurrit, continet.

Cum Cl. Heini, qui in Gymnasio Reformatorem, quod Halæ Saxonum est, linguas orientales & literas politiores docet, Dis-

fertationes, quæ heic apparent, multivariæ
 ejus atque elegantis eruditionis testes sint,
 optandum esset, ut vel eas edat separatim,
 vel saltim iis non immisceat ejus magni-
 tudinis libros, qualis v. gr. ille Gaudentii
 est. Neque enim hæc ad uniuscujusque
 palatum sunt, & id quoque verendum,
 nequis eundem librum bis sibi comparare
 necessum habeat. Scimus Cl. Virum, pro
 eo, quo in nos fertur, amore minus
 ægre laturum, hæc a nobis moneri.

**Historia Literaria Reformationis in honorem
 Jubilæi 1717. constans V. Partibus, quarum**
 I. a) continet disquisitionem, an Erasmus
 fuerit fons Reformationis? b) Alberti Pii
 Principis Carp. opus Ms. Romanum in ori-
 ginem Reformationis, in Erasmus, Reuch-
 linū, Huttenū, Lutherum &c. Pars II. num
 Reuchlinus fuerit anfa Reformationis?
 item Reuchliniana varia pro & contra.
 Pars III. num publica corruptio fuerit caus-
 sa Reformationis? Item XXI orationes
 Panegyricæ Constantiæ & Basileæ a Viris
 summis coram toto Christiano orbe dictæ
 de corrupto Ecclesiæ statu &c. ex antiquis
 Mstis editæ. P. IV. num Indulgentiæ fue-
 rint origo Reformationis? Item Tezeli
 & Lutheri scripta de indulgentiis; nec non
 Melanchthonis Hypotyposes Theologicæ,
 opus rarissimum. Pars V. Sculteti Anna-
 les

les Evangelici de A. 1516. ad A. 1536. omnia
rara, partim MSta cum Introductionibus
Herm. van der Hardt, Acad. Jul. Prof. & Præ-
pos. Mar. fol.

Posterius scriptum facit, ut hujus libri heic
faciamus mentionem.

Job. Henr. Hottingeri, Typus vitæ Christianæ,
delineans Theologiam morum specialem
de inspectione sui ipsius, in usum institu-
tionis domesticæ Marpurg. 1717. 8.

Job. Markii Sylloge dissertationum Philolo-
gico-Theologicarum, ad selectos quos-
dam Textus veteris Testamenti, Lugd. Bat.
1717. 4. 4¹. Alphab. Excerptus est hic liber
in *Republ. der Geleerd. Maart.* en April.
1717. p. 195. sqq. & *Actis Erud. Lips.*
1717. p. 399. sqq.

Abrahami van Toll, Th. Filii, dissertatio de
dominio. Amst. 1717. constat 9 philyris &
versatur circa originem & limites dominii,
quod homini in creaturas, viro in uxo-
rem, parentibus in libros competit, quæ
ex fontibus S. Scripturæ hauriuntur. Re-
censionem dat, *Rep. der Geleerd. I. c.* p.
347 seq. *Acta Erud.* mense Nov. 1717. p.
495. sqq.

Michaelis Rossal, Observatio de Christo per errorem in Chrestam commutato. Annexus est Erasmi Schmidt discursus de Pronuntiatione Græca Antiqua. Groningæ ex officina Velfeniana 1717. in 8vo pagg. 182. præter præfat. & indices. Cum encomio singulari, non immerito tamen, libelli hujus compendium exhibetur in *Histoir. Critiq. de la Rep. des Lettres* Tom. XIII. p. 423.

Meditationes in utramque Petri Apostoli Epistolam Catholicam, per quas verborum vim & connexionem, Apostoli scopum & mentem demonstrare & plenissime explicare quæsit *Clemens Streso*, in *Eccl. Amst.* V. D. M. 1717. 4.

Francisci Fabricii Christus unicum ac perpetuum Fundamentum Ecclesiæ XIV. dissertationibus demonstratus. Lugd. Bat. 1717. 4. 93. philyræ. Recensitus est liber cum encomio *Republ. der Geleerden* Septemb. en Octorb. 1717. p. 159 sqq.

Job. Sigismundi Kirchmeieri, disquisitio de unico fidei principio, verbo Dei, aliisque extra Dei verbum revelationibus immediatis, atque in specie etiam nonnullorum hodie, quos vocant, Inspiratorum Enthufiasmis, Marpurgi 1717. 4. 35 philyræ.

Scriptum hoc jussu Serenissimi Hassorum Landgravii, consignari debuit. Voluit enim ille singulorum Professorum, qui Theologiam in Academia Marpurgensi docent, sententias de hodiernis fanaticis, qui inspirationibus suis, quas jactant, tantum ubique turbarum excitarunt, peculiaribus scriptis sibi exhiberi. Hoc Principis decretum non solum occasionem dedit solidi scripti, quod lingua vernacula prodire fecit Sac. literarum in eadem Doctor celeberrimus Bernh. Dusingius sub hoc titulo; *Summarische Entdeckung derer vornehmsten Irrigen / auch der Grund christlicher Religion umstossenden Lehren Puncten / welche von denen Französischen so genannten Inspirirten, als Urheber des in Deutschland erregten Inspirations-Wercks zum öffentlichen Druck sind befördert worden. Sammt einer Vorrede die heutige Inspirations-Sache insgemein betreffend.* Marpurgi a 1716. in 4. phil. 15. sed & idem ansam præbuit abdicationis a munere Professoris Theologiæ, Cl. Viri. Joh. Henr. Hottingeri, cujus relationem sequenti fasciculo B. Lector inveniet.

Hermannii Witsii Meletemata Leidensia. Herb. bornæ. 1717. 4.

- *Ægyptiaca & Δεικνύλον* Herb. 1717. 4.

Camp. Vitrinæ Typus Theologiæ practicæ
Bremæ 1717. 8.

Hadriani Relandi de Religione Mohammedica libri duo. Editio altera auctior Traj. ad Rhen. 1717. 8. 43. philyræ cum figuris æneis.

- Antiquitates sacræ veterum Hebræorum breviter delineatæ. Editio tertia Traj. ad Rhen. 1717. 8. 37. philyræ. Hæc quoque editio insignè augmentum accepit, pro quo ut ab omnibus solidæ eruditionis amantibus celeberrimo Auctori ingentes debentur gratiæ, ita apud multos eum non minorem initurum gratiam spondere ausimus, si ad modum Bibliothecæ Latinæ Fabritianæ supplementa separatim excudantur ne priorum editionum possessores toties iteratas editiones, quod sine insigni impendio fieri nequit sibi comparare necesse habeant. Quæ dum scribo, sequens calamo excidit Epigramma.

*Dum tibi tam nitidis devincis, quæ patet, orbem
Scriptis; Laus Claræ prima, RELANDE;
chori;*

*Aut fac, ne totiens iteranda sit editio nobis,
Aut scribe, ut queat bis docta carere cohors?*

T. d. H.

Abrahami Trommii Concordantiæ Græcæ Versionis vulgo dictæ LXX. Interpretum, cujus voces secundum ordinem elementorum Sermonis Græci digestæ recensentur, contra atque in opere Kircheriano factum fuerat.

fuerat. Leguntur hic præterea voces Græcæ pro Hebraicis redditæ ab antiquis omnibus Vet. Test. Interpretibus, quorum nonnisi Fragmenta existent, Aquila, Symmacho, Theodotione & aliis, quorum maximam partem nuper in lucem edit Dominus Bernhardus de Montfaucon. Amst. 1717. fol. II. Voll. Gratulamur merito omnibus Philologiæ sacræ cultoribus de egregio hoc adjumento, studio Viri Clarissimi præstito, qui ad Herculeos Concordantiarum conficiendarum labores factus esse videtur.

Doctrina Testamentorum & Foederum Divinorum omnium, comprehensa Libris quatuor, in quibus de æterno Testamento Patris & Filii &c. copiose differitur. Accedunt Exercitationes de Fœdere operum, de Fœdere Noachi & de Promissionibus Abrahami, Auctore *Nicolao Schiere*, Pastore Bolswardensi-Frisiaco 1717. 4.

Johann. Caspari *Suiceri*, Theologi ac Philologi Tigurini, (cujus Thesaurus Ecclesiasticus, Amstelod. II. Voll. in fol. a. 1602. editus, opus, ut ipse appellat XX annorum, ætatem feret) Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum ex antiquitate ecclesiastica illustratum. Opus postumum, Ultraj. 1718. 4. 2. Alph. 2. pl.

GAL-

GALLICE prodierunt.

Histoire des Ceremonies & des superftitions, qui fe font introduites dans l'Eglife. On a joint a ce livre quelques autres Traitez, qui etoient devenus rares | Amft. 1717. pag. 130 in 12. Libellus hic prima vice prodit Amftelodami 1646. dein fe- pius recufus. In hac editione Titulus paulisper immutatus, nova quoque accef- fit dedicatio, in qua authoris (qui fuit Jo- nas Porcé,) nomen omiffum, in præfa- tione quoque & fine quædam variata funt, Peflimo fane exemplo & pœnis publicis corrigendo, præcipue in libris, qui per- fe legi merentur, qualem hunc judicant. *Nouvelles de la Rep. de Lettres mois Jan. & Feb. 1717.*

Ratramne ou Bertram Pretre, du Corps & du Sang du Seigneur. Avec une Differta- tion Preliminaire fur Ratramne & une autre Differtation historique fur la Vie & les ouvrages de cet Authour traduite de l'Anglois. Amft. 1717. 12. p. 287. Hic quoque liber plus duodecies recufus est. Differtatio præliminaris authorem habet Hopkinsum, Canonicum Worceftrienfem. V. Nouvell. des la Rep. de lettr. l. cit.

Preservatif contre le changement de la Religion, ou Idee juste & veritable de la religion Catholique Romaine, opposée au portraits flattez, que l'on en fait, & particulierement a celui de Mr. Condom. Amst. 1717. 12. p. 254. Author libelli nunc recusi famigeratissimus P. Jurieu. Laudatur *Nouvell. de la Rep. de lettr. l. c.*

De l'Existence & des Attributs de Dieu; des Devoirs de la Religion Naturelle & de la Verité de la Religion Chretienne. Traitez, qui sont le precis de XVI. Sermons de Mr. Clarck Londini, 1717. 8. 2. Tomes. a Amsterdam Tom. I. pag. 251. Tom. II. pag. 424. sans les Prefaces & les Tables. Elogium & summam libri exhibet *Histoire Crit. de la Rep. des Lettres T. XIII. pag. 433. seqq.*

Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne, que moderne Tom. XIII. Amsterd. 1717. 12. Cum in elegantissima hac conlectione, quæ politissimæ eruditionis Viro Samueli *Massoni*, ecclesiae Anglicanae, quæ Dordraci colligitur, Ministro, præcipue debetur, multæ dissertatiunculæ & fragmenta compareant, quæ ad nostrum forum, id est, ad illustrationem Philologiæ & Historiæ sacræ spectant, de illis quoque Lectores nostros

M monen.

monendos esse censemus. In hoc ergo Tomo præter multas egregias observaciones ad Antiquitates, Crisin & Historiam Literariam referendas, quas recensere a nostro scopo alienum esset, comparet, p. 29. sqq. *Theodori HASÆI, Dissertatio ad locum Jes. VIII. 20. in qua alia etiam S. Scripturæ loca v. gr. Es. XIV. 12. I. Job. II. 9, 10. 2. Cor. IV. 4. Ps. CX. 3. illustrantur.* Locum Prophetæ ita reddendum putat, *Ad legem & Testimonium! Annon enim secundam hoc verbum loquentur, in quo nulla obscuritas? Confer supra tertiam Diss. hujus fasciculi §. 15 & 16, p. 227 sq.* Porro publico communicatur *Prima pars Articulorum proponendorum Sacrae Facultati Parisiensi a Deputatis designati Die 1. Apr. 1716.* quod fragmentum ad Historiam motuum in Ecclesia Gallica etiamnum ferventium spectat. P. 298. sqq. nova quædam notatu digna Londino communicantur, quæ schismaticos Jacobitarum & Nonjuristarum in Britannia nusus exhibent.

Bibliothèque Angloise ou histoire littéraire de la Grande Bretagne. Tome I. & II. Amster. 1717. 12. Singuli Tomi circiter Alphabethum conficiunt. Siquid in illa ad nostrum forum spectans præter recensioni librorum compareat, illius in catalogis nostris non obliviscemur. Occurrit
autem

autem Tomi II. Parte prima p. 198. seqq.
 proluxa de *Michaele Serveto* differ-
 tatio ab Authore hujus Bibliothecæ con-
 scripta: & p. 237. alia de *Nicolao Antonio*
 Apostata Judæo Genevæ A. 1632. suppli-
 cium passo.

Sermons sur divers textes de l'écriture Sainte
 par *Jaques Saurin*, Pasteur a la Haye. To-
 me III, a la Haye 1717. 8. 1^{er} Alphab.
 in Charta Majori. Duo priores sermonum.
 Tomi adeo approbationem publici obti-
 nuere, ut non sit dubium, quin tertius
 eadem aviditate recipiendus & simul vo-
 rum excitaturus sit, ut Cel. Authori in
 curriculo hoc pergere placeat. Textus,
 quos illustrat decem Sermonibus, sunt
 Matth. XVI. 26. Luc. VIII. 36. 37. Prov.
 XIV. 34. Cant. VIII. 6. 7. 8. 2. Sam. XIX.
 32--39. Jerem. X. 7. 1. Cor. XIII. 9. Prov.
 XXIII. 23. 1. Cor. I. 21.

Traite des Anciennes Liturgies & de l'E-
 piscopat dans l'Eglise primitive, traduit
 de l'Anglois 8. 2. vol. Amst. 1717.

Index librorum *Anglice, Germanice, & Bel-
 gice* editorum sequens sistet fasciculus.

E I N I S.